PAPA INFALLIBILIS

NUPER AB

Impugnatoribus ſuis vindicatus

NUNC IN TRIUMPHUM ADDUCTUS

PER SECUNDAM EPISTOLAM APOLOGETICAM

Adversùs Epiſtolam

Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi

GILBERT DE CHOYSEUL

DU PLESSY-PRASLAIN

EPISCOPI TORNACENSIS

MISSAM AD

Eximium ac Reverendum admodùm D.num

D. MARTINUM STEYAERT

S. T. D. & Profeſſorem Ord. in Facultate Lovanienſi;

DE

POTESTATE ECCLESIASTICA.

Per D.num FRANCISCUM VERITE' *Salvatorianum.*

Auferte gentem perfidam credentium de finibus } *UT UNUS OMNES UNICUM OVILE NOS PASTOR REGAT* ECCLESIA.

2

LEODII, Typis JACOBI MONFORT. 1688.



ILLUSTRISSIME DOMINE,



OCET me S. Cyprianus, quòd *cavenda sunt, non solùm quæ aperta sunt, atque manifesta, sed & astutæ fraudis subtilitate fallentia.* Nec immeritò, quia juxtà V. Bedam l.4. in Luc.c.25. *Duo sunt genera persecutorum, unum palàm sævientium, alterum fictè fraudulenterque blandientium.* Sed horum astutiam jam dudum detexit Spiritus S. dicens *in labijs suis indulcat inimicus, & in corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam, in oculis suis lacrymatur inimicus, & quasi adjuvans suffodiet plantas tuas.* Eccl. 12. Talem te expertus sum (pace vestrâ dixero) dùm epistolam vestram ad E. D. Steyaert missam perlegi, teque exclamantem percepi: *Quis non doleat fratres ita inter se dißidere? nihil gratiùs existimem, quàm distractos in pristinam concordiam revocare.* Speciosa profectò exclamatio, sed est in-animis, quia eam non sequitur intentio. Quis non manibus pedibusque ad te convolet, cùm te tanto dolore discordias sentientem, & tàm flagrantem exhibeas pacis amatorem? Sed ô cordati veritatis amatores, nolite credere omni spiritui, quia sæpè sub ovina pelle latet Lupus, imò & sub Pastoris habitu mercenarius. Hæc tamen de te (Illust. D.) suspicari non ausim: ideoque palàm profiteor, me pro tali Illustrissimam Vestram Gratiam non depingere; verumtamen hoc asserere non erubesco à benè sensatis Theologis ad minùs suspicandum esse illa vestra verba esse inimici *fictè fraudulenterque blandientis*, & Theologicè D. Steyaert persequentis: suspicionis fundatissimæ causam didici ex prov. 18. ubi dicitur *occasiones quærit omnis, qui vult recedere ab amico.* Recesti (scripta tua testantur) ab amico tuo D. Steyaert, imò & inimicitiæ occasiones quæsivisti, dùm Theologo Gallo D. Steyaert in Theologicis inimico dextram prebuisti, juxtà illud *non solùm qui faciunt culpabiles existunt, sed etiam qui consentiunt facientibus* Rom. 1. Consensisti cum Theologo Gallo (legentes epistolam vestram testes appello) ideoque de inimicitia Theologi Galli particeps factus es, quia si *non caret scrupulo societatis occultæ, qui manifestis facinoribus desinit obviare*, quid sentiendum de eo, qui manifestum se exhibet socium? dixi verba vestra esse eloquia inimici *fictè fraudulenterque blandientis*, & Theologicè D. Steyaert persequentis; non intellexi Theologicè moraliter ad peccatum pervenientis, sed Theologi-

cè ſcholaſticè à veritatis tramite deflectentis; an ex profeſſo, an ex opinionis hallucinatione judicet Dominus, qui ſcrutatur renes, & corda. Hoc itaque modo fraudulenter blandientem D. Steyaert inimicum te oſtendiſti (ut quidem judico) dùm cum Theologo Gallo quaſi conſpirans adverſùs D. Steyaert, mutuò collocuti fuiſtis dicentes, *circumveniamus juſtum illum, quoniam contrarius eſt operibus noſtris*: ſed ipſe *ſtetit in magna conſtantia adversùs eos qui ſe* quidem impetiverunt, ſed non *anguſtiaverunt*, nec *abſtulerunt labores* ejus. Et quamvis ad tempus à ſcriptione abſtinuerit, nolite vobis adulari, quòd argumentorum veſtrorum pondere deterritus ſiluerit: nolite, inquam, per hoc vobis adulari, quia ſcriptis Theologi Galli ſatis ſeſe oppoſuit, veſtris autem, ut opinor, reſpondere non potuit, vel negotiorum multitudine obrutus, vel (quod probabilius exiſtimem) deſpiciens imbecillem veſtrum argumentandi modum, textus truncatos, Adverſarioſque fictos à te, ut veros, productos: quomodò autem fictis terreretur hoſtibus, qui tàm ſtrenuè obviam venit manifeſtis? ludere quidem potuiſti, Illu. D. ſed illudere minimè valuiſti: eſto, pacis prætextum aſſumpſeris, non tamen ut pacis defenſorem (ſaltem in hoc ſuo negotio) te aſſumpſit, ſed technas veſtras detexit, eoque longius à te ſe abduxit, quo ſciebat clarius, quòd *plus metuendus eſt, & cavendus inimicus, cùm latenter obrepit, cùm* PER PACIS IMAGINEM FALLENS, *occultis acceſſibus ſerpit, undè & nomen Serpentis accepit: ea eſt ejus ſemper aſtutia, ea eſt circumveniendi homines cæca, & latebroſa fallacia, ſic ab initio ſtatim Mundi fefellit*, & VERBIS MENDACIBUS BLANDIENS *rudes animas incauta credulitate decepit*: Verumtamen non niſi rudes, minimè verò eruditos, & oculatos, ſed hi ſubridentes diſſimulant ſcientes, quòd *non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, nec ſervus major Domino ſuo. Quid nos hoc indignemur* FRAUDULENTUM IMPETENDI GENUS, *cum inimicus Diabolus ſic Dominum ipſum tentare conatus, quaſi obreperet, rurſus & falleret, latenter acceſſerit*. Hactenus Cyprian. l. de unit. eccleſiæ. Nec nos itaque indignabimur veſtrum impetendi genus, Ill. D. ſed defenſores nos exhibebimus per ulteriorem epiſtolæ veſtræ refutationem.

Negas Summum Pontificem, Petri Succeſſorem, Chriſti in terris Vicarium Superiorem eſſe univerſæ Eccleſiæ, ita ut ipſum velut ſuum Monarcham agnoſcat ſicut agnoſcit Gallia Ludovicum, Hiſpania Carolum. Sed (ſalvâ pace veſtrâ) nimis invidioſus es Pontifici; invides enim ipſi, quod ipſe Chriſtus illi conceſſit, illum quippè *univerſo terrarum orbi Chriſtus præpoſuit* Chryſo. Hom. 55. in Matth. 13. Et quidem tantâ potentiâ præditum voluit, ut & Imperatores ejus ſubjiceret Principatui teſte S. Antonino c. 8. de Gallieno & ſub eo geſtis. *Principatum & Imperium ab uno habere principium ſcilicet Chriſto, qui fuit Pontifex & Rex Regum, & diſtinctas eſſe eas dignitates*, PAPAM TAMEN HABERE

RE

RE UTRUMQUE GLADIUM , *& utroque uti posse* , *& ideo licet distincta potestates, in exercitio tamen subalternatim se habent* , *ita quòd* IMPERIALIS DIGNITAS SUBIICITUR PRINCIPALI , UT INFERIOR SUPERIORI , UT SICUT UNUS PRINCEPS IN UNIVERSO , DEUS VIDELICET , ITA IN ECCLESIA UNUS MONARCHA SCILICET PAPA , CUI TERRENI SIMUL ET CŒLESTIS IMPERII DOMINUS JURA CONCESSIT. d. 22. c. 1. Undè & S. Bernardus huic sententiæ subscripsit dum alloquens Eugenium sic effatur. *Quid tu denuò usurpare gladium tentes, quem semel jussus es ponere in vaginam ? quem tamen, qui tuum negat, non satis videtur attendere ad verbum Domini dicentis, converte gladium tuum in vaginam. Tuus ergò & ipse tuo forsitan nutu , etsi non tuâ manu evaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret , & is , dicentibus Apostolis , ecce gladij duo hic : non respondisset Dominus satis est, sed nimis est.* UTERQUE ERGO ECCLESIÆ , ET SPIRITUALIS SCILICET GLADIUS , ET MATERIALIS , *sed is quidem pro Ecclesia , ille verò & ab Ecclesia exercendus est , ille Sacerdotis , ille Militis manu , sed sane ad* NUTUM SACERDOTIS , *& jussum Imperatoris.* de consid. l. 4. c. 3. Undè tantâ universalitate Ecclesiæ est Papa præpositus , ut foret *Orbe exeundum ei , qui fortè vellet explorare , qua non ad tuam pertinent curam* ; ait iterùm Bernard. Eugenio l. 3. c. 1. Sed de hoc aliàs.

Resumo , quod leviter in primâ meâ epistolâ refutavi , & ampliori , (ne vulgus decipiatur) calamo refuto , quod dixisti , quod *Christus detulit Petro primatum , sed non continuo ab omni errore immunem asseruit* , verum infelicem hujus tui dicti probam profers dicens , *restitit ipsi in faciem Paulus , quia reprahensibilis erat.* Ad hoc respondi non hic agi de repræhensibilitate Petri in matetià fidei , sed in materia aliarum virtutum , scilicet constantiæ , &c. In primo Petrum non peccasse asserui , imo nec peccare potuisse præter probas, quas dedi , ulterioribus confirmabo : sed prius hunc locum ad galat. 2. expendamus , ac ostendamus , ne vel in minimo tibi favere, quin & secundum SS. Patres manifeste adversari : non ignoras acrem hanc fuisse inter Hieronymum , & Augustinum controversiam illo Petrum ab omni peccato excusante , hoc Petrum de hæresi reum non probante : non te fugit , quam validis impetiverit Hieronymus Augustinum argumentis , & inter alia Augustinum præmebat dicens , *si cui iste non placet sensus , quo nec Petrus peccasse , nec Paulus procaciter ostenditur arguisse* MAJOREM , *debet exponere , qua consequentia Paulus in altero reprahendat , quod ipse commisit , epist.* 89. ad August. hoc autem argumentum (ex licentiâ ipsius met Augustini sic loquor cum Reverentia , quia in sua ad Hieronymum responsione suam permisit impugnari sententiam) Augustinus efficaciter nusquam solvit. Sed utrumque , & Paulum scilicet , & Petrum dispensatione magistrâ processisse obvium est apud

Patres, nec usquam à fide deviasse probaveris, uti invictè Tertulianus contra hæreticos, Cyrillus Alex. Chrysost. Theodoretus, Theophyl. Æcumænius, aliique ostenderunt. Quantum ad Augustinum spectat & Hieronymum, non videtur Augustinus Hieronymum impugnans nodum difficultatis attigisse, quia putabat Hieronymum docere mendacium officiosum esse licitum; quod certe nec in commentariis ad Gallatas, nec in suâ ad Augustinum epistolâ usquam docuit Hieronymus: unde qui ex Augustini epistolâ vellet concludere Petrum in fide errasse, deberet ostendere Augustinum probasse Petrum intentione Judaica Judaizasse, cum tamen dixerit de Paulo, *non ideo Petrum emendavit, quod* PATERNAS TRADITIONES OBSERVARET, *quod si facere vellet, nec mendaciter, nec incongrue faceret, quamvis enim jam superflua, tamen solita non nocerent.* Si tamen quis his non obstantibus adhuc insistat dicatque, vel hic vel alibi Augustinum supponere Petrum intentione Judaicâ Judaizasse, hoc est putans Judaismum adhuc esse, & tunc fuisse ad salutem obtinendam necessarium, adducat unum ex Augustino testimonium, quod Petri interiora penetrans talis in Petro intentionis indicium subministrat, & tunc, quid responsuri simus, cogitabimus. Interim ego reflecto quod Augustinus dicat *Paulus occurrit: ad ipsum confugio, ad ipsum ab omnibus, qui aliud sentiunt litterarum ejus tractatoribus, provoco.* Ergo quisquis cum Augustino docere eligit Petrum verè fuisse in errore Judeorum, & à fide deviasse, adducat ex Augustino unum testimonium ex Paulo desumptum, quo Augustinus illud comprobavit: quisquis es ad Paulum te provocat Augustinus, ad Paulum eas: at, inquies, Paulus dicit, *se Petrum vidisse non rectè ingredientem ad veritatem Evangelii:* hoc & Augustinus dicit: sed memento & Augustinum dicere de Petro: NEC VERE FUERAT IN ERRORE JUDEORUM, *qui non solum noverat sed etiam instanter, & acriter prædicabat eos errare, qui putabant gentibus imponenda, vel justificationi, quocumque fidelium necessaria vetera illa Sacramenta.* Attentè reflectas, in quem finem hanc cum Hieronymo tractarit Augustinus quæstionem, & depræhendes non alio tendere, quam Hieronymum convincere mendacem simulationem non esse licitam, in quo tamen Hieronymi mentem assecutus non est, cum hoc asserere Hieronymus nusquam ostendetur, hoc attento percipies mentem Augustini esse Petrum dispensatione fideli non fallaci Judaizasse: audi Augustinum hoc in terminis asserentem, dum Hieronymum alloquitur *cum enim abs te quæsissem in epistola mea, quomodo putetur ideo factus Judæis, tamquam Judæus, quia* FALLACITER *susceperit Sacramenta Judæorum, cum & gentibus, tamquam gentilis factus sit, nec tamen susceperit fallaciter Sacramenta gentium: tu respondisti, in eo factum gentibus tamquam gentilem, quod præputium receperit quod*

indifferenter permiserit vesci cibis, quos damnant Judæi: ubi ego quæro, utrum & hoc simulatè fecerit? quod si absurdißimum, atque falsißimnm est, sic ergo & illa, in quibus Judeorum consuetudini congruebat LIBERTATE PRUDENTI, *non neceßitate servili, aut quod est indignius dispensatione* FALLACI, POTIUS, QUAM FIDELI. Ut quid enim dispensatione fallaci uteretur Petrus, cum sine peccato facere permissum fuerit dicente Augustino, *quòd si facere vellet, nec mendaciter, nec incongruè faceret, quamvis enim jam superflua* TAMEN SOLITA NON NOCERENT, Demus itaque gratis Hieronymum erraſſe cum suis, & Augustinum ipsum convicisse gratis concedamus, quid indè concludes? an Petrum in fide errasse? Sic concludendo SS. Patrum non assequeris sententiam: verumtamen non ego te eorum cathalogo inseram, quo illos totaliter concludentes inserit B. Justinianus in c. 2. ad Galat. dicens *certe quidquid aliqui* IMPERITE ATQUE IMPIE *effutiant, in fide nullo modo erravit Petrus.* Ego, inquam in imperitorum atque impiorum serie minimè te constituo, sed ex aliorum sententia ostendo, quod illegitimè concludas, & si hoc per verba duriuscula Hæreticis olim applicata probavero, inspicito non esse mea, sed S. Cyrilli Alex. l. 9. contra Julianum: AUDAX ILLE ET CONFIDENS *Petrum Apostolorum præcipuum cavillatur, & Hypocritam esse dicit, atque à Paulo reprahensum, quod modo Græcorum, modo Judæorum ritu vivere vellet, ignorans* PLANE SINGULAREM IN HIS CONCILII RATIONEM: NON ENIM DIVERSA SENTIEBAT ILLE DISCIPULUS, SED CONGRUA MODERATIONE TEMPESTIVE UTENS, *omni ratione prodesse iis studeba, qui ad se venirent. Cùm autem unis ritibus addictus esset B. Paulus. aggressus commonefecit; metuebat enim nè* PROPOSITUM LATERET, ET ILLE DISPENSANDI MODUS *nonnullos offenderet* (ecce quomodo Cyrillus Augustino consonet) NON PROPTER MALEFACTUM *Petrum monet Apostolus, sed propter* PERICULUM ABUSUS *illius Divi Petri* DISPENSATIONIS. Non mihi (quamvis parum curem, dummodo veritas appareat) sed Cyrillo succenseas, si hæc te verba acrius pungant. Recte itaque scripsit Tertull. l. 5. adversus Marcion. c. 3. *plane reprahendit. non ob aliud tamen, quam ob inconstantiam victus, quam pro personarum qualitate variabat, timens eos, qui erant ex circumcisione.* Idque merito repræhendere potuit Paulus, quod aliter viveret, quam doceret, neque externas actiones *cum periculo abusûs* (Cyrilli utor vocabulo) *suæ dispensationis* suæ sententiæ, satis accommodaret; docuerat enim ante cum cæteris in Concilio Hierosolymitano Moysis ceremonias non esse gentibus necessarias, ac per consequens esse negligendas, & nihilominis cum Judæis Judaizabat, & per suum exemplum periculo se ex ponebat, quod multis vel malevolis, vel ignorantibus, vel pusillis foret lapis offensionis, aut Petra scandali, eo quod multi deinde Petrum imitarentur non eâ, qua Petrus,

intentione, & fine, atque adeo cœpit esse perniciosum, quod ab initio cum laude potuit usurpari. Cum laude, inquam, quia erat singularis benevolentiæ, charitatis, prudentiæ, & rerum gerendarum dexteritatis indicium in Petro, ut Judæis Judæus fieret, ut Judæos lucrifaceret: ipse quippe timebat eos, qui ex circumcisione erant, non quasi ab eis metueret sibi, sed potius, quia illis periculum, aut scandalum metuebat. Sic infra c. 4. 11. *timeo vos, ne frustra in vobis laboraverim*, & 2. Cor. v. 3. *timeo, ne quem admodum serpens decepit evam, ita corumpantur sensus vestri.* Timebat igitur Petrus interprete Chrysostomo, *ne Judæi deficerent, neque enim apud Apostolos mortis, aut proprij periculi timor valebat, verum ne ipsorum Discipuli in discrimen adducerentur, vehementer metuebant.* Et hac ratione non errasse, sed officio potius satisfecisse credendus est Petrus, nam cùm illi Judæorum præcipuè cura commissa esset, & patrocinium, officii ab eo ratio postulabat, ut eorum imbecilitati parceret, eorumque voluntati sese accommodaret, cùm præsertim sibi facilè persuadere posset nihil indè Gentiles capturos detrimenti, siquidem cum communi consensu definitum est, Legis veteris cęremonias Fidelibus non necessariò usurpandas; nec ignorabat cæremoniarum observationem eo tempore nondum esse lethalem, ideoque citrà noxam potuit Petrus, ut Judæorum imbecillitati consuleret, eas ex parte retinere: sed cùm ejus exemplum plures alii sequerentur, multorumque salus in periculum adduci videretur (quod Petrus ab initio divinare non poterat) cæpit esse repræhensione dignum, quod potuit cum laude inchoari, sed per hoc Petrus errabat, *non docentis imperio, sed conversationis exemplo.* Vides ex dictis, quæ sit Sanctorum Patrum mens de repræhensione Petri: verumtamen quia Augustinus, qui contrarium sibi sentientes ad Paulum compellavit, etiam dicat, *quid hinc senserit noster Ambrosius, quid noster itidem Cyprianus, invenies fortaßè nec nobis defuisse, quos in eo, quod asserimus, sequeremur.* Si ergò Augustinus Ambrosium & Cyprianum sequeretur, quid ni & nos eos sequamur? Ambrosius Petrum ab Hæresi excusat, Cyprianus autem nec excusat, nec accusat, saltem in eo quem reperire potui loco, ubi dicit, *nec* PETRUS, QUEM PRIMUM *Dominus, elegit, &* SUPER QUEM ÆDIFICAVIT ECCLESIAM SUAM, *cùm secum Paulus de circumcisione postmodùm disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret se primatum tenere, & obtemperari à novellis & posteris sibi potiùs opportere, nec despexit Paulum, quod Ecclesiæ prius persecutor fuisset, sed concilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facilè consensit, documentum scilicet nobis & concordiæ, & patientiæ tribuens.* epist. 71. Ambrosium modo excusantem audiamus in Epist. ad Galat. NON ENIM ALIQUID FUISSET ERRORIS, *si præsentibus Judæis dißimulaßet à gentibus, timens scandalum, sed hic tota causa* REPRÆHENSIO-

NIS

NIS *est*, *quia advenientibus Judæis ab Jacobo*, *non solùm segregabat se ab eis*; *cum quibus gentiliter vixerat*, *sed & compellebat eos judaïsare*, *causâ timoris illorum*, *ut quid horum verum esset ignorarent Gentiles.* Sed cum Tertull. loquor l. d. præscript. c. 23. *Hoc conversationis fuit vitium non prædicationis.* Etenim BENE SENTIEBAT DE ABOLITIONE LEGIS; *sed simulavit pro timore Judæorum, ne occasione gentium à fide recederet, & sic perderet suum gregem. Simulavit autem & Paulus pro simili metu, quando Thimoteum circumcidit, & Comam more Nazaræi nutrivit, quam in Cenchreis rasit, vel quando purificavit in templo sacrificium obtulit: Petrus ergò, utpotè Judæorum Apostolus saluti Judæorum providebat in hac simulatione, timens, nè si coràm Judæis communes cibos ederet cum gentibus, illi prædicationem ejus respuerent, & à fide discederent, ideoque permittebat adhuc illis, ut facerent circumsionem, cæterosque ritus Legis observarent, &* IPSE CUM EIS EX PARTE SERVABAT, *ut paulatim eos ad fidem, & Evangelij veritatem alliceret, & idcircò, si quis Gentilium circumcidi vellet, in præsentia Judæorum non prohiberet.* S. Anselm. in epist. ad Gal. Hos si potes refelle. Hæc latius, quam moris est produxi, ne per speciosa adversariorum meorum verba vulgo imponatur, & Petrus à fide deviasse erroneè divulgetur. *Hoc si placet*, *Imo*, *quia placet* tibi Illustrissime Domine (cum Hieronymo te alloquor) *tu ut Episcopus toto orbe notissimus*, *debes hanc promulgare sententiam*, *& in assensum tuum omnes Episcopos trahere. Ego de magnis statuere non audeo*, *nisi hoc ingenuè confiteri*, *me majorum scripta legere*, *& ponere explanationes* eorum, non enim volo abundare in sensu meo, sed sapere desidero ad sobrietatem, atque ideo hos tibi SS. Patres præscripsi, eorumque sententiæ subscripsi, si hoc non obstante *me reprehendis*, ut *errantem* à veritate, *patere me quæso errare cum talibus*, *& cum me erroris mei multos socios habere perspexeris*, *tu veritatis tuæ saltem* UNUM ADSPIPULATOREM *proferre debebis*, *illi* (quos ego adduxi) *interpretati sunt*, *ut potuerunt*; *tu quoquo modo istum locum edisseras*, *utique meliora dicturus*, *qui* VETERUM SENTENTIAM *reprobasti?*) profectò compatior naturæ tuæ, & ætati, ideoque *obsecro te*, *ut pace tua meum dolorem* ratione sententiæ tuæ conceptum *audias.* Pervolve itaque veterum volumina, & *velis nolis tuam sententiam reprobabis*, *& tunc scies opere*, *difficilius esse confirmare sua*, *quam aliena reprehendere.* Pro nunc satis est: ad alia me sequere.

Moris est apud amicos, quod invitatus amicus alium de consortium conferre possit sine indignatione invitantis: invitas D. Steyaert dicens *ad sacram Scripturam ad Apostolicam Ecclesiæque perpetuam traditionem*, *ad Conciliorum ipsorumque summorum Pontificum Gregorii VII. majorum* (quid ni & successorum?) *Decreta provoco*: *& cum hæc sint Theologiæ armamentaria* (cur ab his excludis sanctos Patres?) *mihique cum sapientissimo Theologo sermo sit*: *non dubito*, *quin*

te ipso judice causa cadant nostri (quam tibi adularis !) *imò veritatis* (alias falsitatis) *adversarii* : cum amicum D. Steyaert me protester ipsi me socium non invitatum adjungo , Theologiæ armamentariis à te enumeratis (sed & ex SS. PP. Libris depromam) utor ? ideoque & te viciſſim provoco , ut non aliis ùtaris ad nos convincendum testimoniis : authoritatibus (Si potes) nos suffocato , non obruas nos historiarum enarrationibus (quibus equidem nihil efficies) hæc enim non adjiciuntur nisi ut legentes tædio afficiantur , & altercationis tempus lucretur , uti solent facere mali litigatores , rabulæ contentiosi vulgo *chicaneurs* dicti : iterum ergo ad authoritates solas provoco , & provocatum te iisdem aggredior.

Ad Petri primatum , & infalibilitatem probandam vel tibi objecit D. Steyaert , vel tu ut ab ipso objectum tibi ipsi objicias hunc textum *tu es Petrus , & super hanc Petram ædificabo Eclesiam meam :* & respondes *verum objectas , E. Domine , quoad verba . sed vide utrum SS. Patrum sensum assequaris.* Ipsum SS. Patrũm sensum assecutum esse clarè ostendi in prima epistola , & nunc aliis stabilio , & raciocinationibus , & irrefragabilibus (*ut pote ex Theologia armamentarius*) extractis authoritatibus. Ad rationem prius , postea ad authoritatem me convertam. Audite insulæ , & attendite populi de longè Doctoris Parisiensis facundam quidem , sed infæcundam refutationem , qua ostendit D. Steyaert SS. Patrum sententiam non fuisse assecutum. Hæc est : *non ignoras , doctor eximie* , (sic D. Steyaert alloquitur Illustrissimus Doctor Parisiensis) *pluribus in locis Augustinum docuisse , Petram , super quam fundata est Ecclesia ipsum esse Christum.* Quid inde concludit ? *Petrum esse primariam partem Ecclesiæ* (qua authoritate probas , quâ consequentiâ per quam figuram concludis ?) & deindè subinfert, *sanè nisi displiceat S. Augustini authoritas, vides ex hoc Evangelij loco , quamvis Petrus maximè commendetur , non ipsi tamen sed Christo , vel ejus Ecclesia infalibilitatem, & omnimodam à Portis inferi esse securitatem adscribendam.* Timeto tibi , non nobis , quod displiceat Augustini sententia. Legistinè c. 21. l. 1. retract. ? si legeris , quid nobis vereris Augustini non placituram sententiam ; cùm ibidem apertis verbis nostræ subscribat sententiæ ? Si fortè non legeris , pone perspicilia (quia seniculus es) sed non *Gallica* , ast *Augustino-Romana* , & lege hæc Augustini verba *dixi in quodom loco de Apostolo Petro, quòd in illo tamquam* IN PETRA FUNDATA SIT ECCLESIA,*qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus Beatiſſimi Ambrosij : ubi de Gallo Gallinaceo ait , hoc* IPSA PETRA ECCLESIÆ *canente culpam diluit.* (Utinam ad Galli cantum omnium Gallorum oculi aperirentur , ut humilem Pontifici subjectionem exhibeant ! ad hocDeum exoro. (*Sed scio me postea sæpiſſimè sic exposuisse , quod à Domino dictum est , tu es Petrus , & super hanc Petram ædificabo*

Ecclesiam meam, ut super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens, tu es Christus filius Dei vivi, ac si Petrus ab hac Petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, & accepit claves Regni cælorum. Non enim dictum est illi tu es Petra, sed tu es Petrus, Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum quæ sit probobilior, eligat lector. Quidsi ego utramque eligam, & dicam *Petrum esse Ecclesiæ fundamentum?* putas me ab Augustino dissensurum? erras: dùm enim Augustinus dicit Christum esse Ecclesiæ fundamentum, cum eodem dicam in Psal. 86. *Si gregem subditum cogites Christus Pastor Pastorum, si fabricam cogites, Christus* FUNDAMENTUM FUNDAMENTORUM. Et dum ego Petrum Ecclesiæ fundamentum intitulo, *Petrum* FUNDAMENTUM FUNDATUM assero. Annè hoc asserendo ab Augustino recedo? minimè gentium. Sed Basilio Magno consocior dicenti, *at Petrus dixerat jam antea, & Beatus pronuntiatus fuerat: dixerat tu es filius Dei excelsi, & vicissim audierat,* SE ESSE PETRAM, *ita laudatus à Domino licet enim petra esset, non tamen* PETRA ERAT UT CHRISTUS: *ut Petrus petra erat, nam Christus* VERE EST IMMOBILIS PETRA, PETRUS VERO PROPTER PETRAM: *argumentum est opulenti* HABERE *scilicet,* & ALII DARE. Hom. 29. de pænit. Hujus mei dicti etiam defensorem habeo Ambrosium in Evang. Luc. c. 9. dicentem *Petra est Christus etiam discipulo suo* HUJUS VOCABULI *gratiam non negavit, ut & ipse sit Petrus, quod* DE PETRA *habeat soliditatem constantiæ,* FIDEI FIRMITATEM. Consentit & Leo IX. epist. 1. ad Michael. Patriach. constan. c. 7. (*taliter sancta Ecclesia super Petram, id est, Christum,* ET SUPER PETRUM, *vel Gepham. filium Joannis, qui prius Simon dicebatur,* ÆDIFICATA, *quia inferi portis, disputationibus scilicet hæreticorum, quæ vanos ad interitum introducunt, nullatenus foret superanda, sic pollicetur ipsa veritas, per quam sunt vera, quæcumque sunt veaa. Porta inferi non prævalebunt adversus eam. Cujus promissionis* EFFECTUM *se precibus impetrasse à patre idem filius protestatur dicendo ad Petrum: simon ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* ERIT ERGO QUISQUAM TANTÆ DEMENTIÆ, QUI ORATIONEM ILLIUS, CUJUS VELLE EST POSSE, AUDEAT IN ALIQUO VACUAM PUTARE. Non erunt ex credentibus, quod A SEDE PRINCIPIS *Apostolorum, Romana scilicet Ecclesia,* TAM PER EUNDEM PETRUM, QUAM PER SUCCESSORES SUIS REPROBATA, ET CONVICTA, ATQUE EXPUGNATA SUNT OMNIUM HÆRETICORUM COMMENTA, ET FRATRUM CORDA IN FIDE PETRI, QUÆ HACTENUS NEC DEFECIT, NEC USQUE IN FINEM DEFICIET, SUNT CONFIRMATA.) Vide qui-

bus subscribamus, dum nec ab Augustino vel ad latum unguem recedimus. Depone ergo tuum infundatum metum, quo vereris nobis displicere Augustini authoritatem: Vanum timorem in homine, qui Augustini professorem se exhibet! an caligaverunt oculi tui? an annosum cerebrum nimiâ, & forte importunâ vexatione tritum, & memoria devastata te immemorem reddidit Sermonis 5. in Festo Apostolorum & præcedit is de Sanctis? ubi hæc habet, *hic est quoque beatus Petrus in illa cælestium discipulorum schola præcipuus, ac primus idoneus, qui verba vitæ ex Christi ore suscipiens per Evangelii potestatem Judæorum gentem perditam quæreret, & abdicatos ad hæreditatem vocaret*, INTERPRES LEGIS, *assertor gratiæ, destructor Synogogæ*, ECCLESIÆ REPARATOR, *& ideo* SOLUS *inter Apostolos meruit audire, quia* TU ES PETRUS, ET SUPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM, *dignus certè, qui* ÆDIFICANDIS IN DOMO DEI POPULIS, ESSET FUNDAMENTUM, COLUMNA AD SUSTENTACULUM, CLAVIS AD REGNUM. Quam igitur causam habes verendi, ne nobis Augustini displiceat authoritas? an forsan etiam alios Patres nobis adversari existimas? non puto: fateor tamen quod doceat S. Anselmus Matth. 16. in hunc modum (ecce quomodo te præveniendo adjuvem) *tu es Petrus, & super hanc Petram id est* SUPER ME *ædificabo Ecclesiam meam*: noli hic iterum nobis mutuere, quia se nobis non adversari nimis clare se ipsum explicat Anselmus dicens, SIC ES PETRUS A ME PETRA, *ut tamen mihi reservetur* FUNDAMENTI (subaudi principalis ut patet ex sequentibus) *dignitas*; *sed tu*, cui *ego*, *ut amatori*, *& confessori meo* PARTICIPIUM MEI NOMINIS DEDI, *super me fundamentum* (primarium) *mundos lapides* ORDINABIS, *& reprobos* REMOVEBIS. Visne clariorem hujus D. Anselmi mentis explanationem? lege, quod sequitur, quare scilicet ipsum principem Apostolorum, & vicarium suum constituerit; non alium in finem, nisi, ut per definitiones suas infalibiles, dissentientia Ecclesiæ membra ad se recurrentia indissolubiliter reuniret, & scismatum sisania suffocaret. Audi clarissima ejus verba loquentis de potestate ligandi, & solvendi præ aliis Petro concessa. *Notandum est, quod hæc potestas, non solum Petro data est, sicut Petrus unus pro omnibus respondit, sic in Petro omnibus hanc potestatem dedit; unde post passionem dictum est, quorum remiseritis peccata, &c. nec solis Apostolis, sed etiam Episcopis, & presbyteris hæc potestas concessa est: sed ideò quasi* UNI PETRO EAM CONCESSIT SPECIALITER *ut ad unitatem nos invitaret*: IDEO *enim* EUM PRINCIPEM APOSTOLORUN *instituit, ut Ecclesia, quasi* UNUM PRINCIPALEM VICARIUM CHRISTI HABERET, *ad quem diversa Ecclesiæ membra* RECURRERENT, *si forte inter se* DISSENTIRENT *quoniam si diversa essent capita in Ecclesia, unitatis vinculum rumperetur*

per

per DIVERSA SCISMATA. Ibidem. Quid clarius ? unde sibi constans hic S. Pater, eo usque agnovit Pontificis infalibilitatem, ut opusculo de incarnatione verbi c. 1. in hæc verba prorumpat. DOMINO PATRI UNIVERSÆ ECCLESIÆ PEREGRINANTIS SUMMO PONTIFICI *Urbano frater Anselmus, &c. quoniam divina providentia vestram elegit sanctitatem, cui* VITAM, ET FIDEM CHRISTIANAM CUSTODIENDAM, ET ECCLESIAM SUAM REGENDAM COMMITTERET : AD NULLUM ALIUM RECTIUS REFERTUR, SI QUID CONTRA CATHOLICAM FIDEM *oritur in Ecclesia, ut ejus* AUTHORITATE CORRIGATUR, *nec ulli alii* TUTIUS, *si quid contra errorem respondetur, ostenditur, ut ejus prudentia examinetur.* Sic ergo revereamur Petri definitionem, ut à nullo rectiorem, & tutiorem exspectare possimus ipsi enim soli hæc prærogativa debetur, *hinc est, ut cum* PETRUM, *nomen videlicet, hoc audiamus, non substantiam ejus intelligamus (dico autem substantiam materiale illud subjectum, quod eo nomine nequaquam significatur,) sed earum* PROPRIETATUM, *quæ circa ipsum inspiciuntur, sensum concipimus.* Et quæ sunt Petri proprietates? *quod ex piscatore in Apostolatus ministerium vocatus est, qui quoniam fide præstabat,* ECCLESIÆ SIBI COMMISSAM ÆDIFICATIONEM *suscepit. Nomen itaque characterem quidem nobis Petri circumscribit, ipsam vero substantiam nequaquam.* S. Basil. l. 2. adv. eunom. nec ex suo cerebro hunc Petro charecterem adscribit Basilius, sed ex ipso Christo illum Petro adscribente didicit, ut testatur S. Ephraem l. de sacerdotio dicens, *Petrus dictus cephas à magno testimonium accepit pastore,* SUPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM. Vides ergo & vidisti in prima mea epistola, quibus testibus innixus Petrum Ecclesiæ fundamentum nuncupaverim fulcrum meum desumens ex hoc Christi ad Petrum dicto, *tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam,* sed & amplius ex his jam citatis, & aliis citandis omni populo Christiano manifestam faciam hanc veritatem, & simul Pontificis in rebus fidei definiendis authoritatem infalibilem ostendam.

Visne Paulum ipsum testem ? audi Hieronymum in apolog. ad vers. rufinum *nonne Paulus in faciem Cephæ restitit, quod non recto pede incederet in Evangelio, & tamen* PCÆCESSOREM SUUM, ET COLUMNAM ECCLESIÆ *vocat, & exponit cum eo* PRÆDICATIONEM, NE IN VACUUM CURRERET, AUT CUCURRISSET. Illum sequitur Ambrosius de virg. l. 3. *Petrus vir sapiens & gravis, in quo esset* ECCLESIÆ FIRMAMENTUM, ET MAGISTERIUM DISCIPLINÆ tanta præditus in Ecclesia eminentia, ut ubi ipse esset *ipsa Ecclesia* esse dicatur, audi ergo eundem in psalm. 40. *cadit Christus super resurrecturos Christus super* PETRAM (nonne hæc Petra Petrus est ? non enim est Christus, alioquin super seipsum caderet) *Christus super Ecclesiam. Audi quo-*

modo super ECCLESIAM *cadat retro erat Petrus*, *& sequebatur eum*, *cum à Judais ad Caipha domum Synagoga principis duceretur:* IPSE EST PETRUS, *cui dixit, tu es Petrus*, *& super hanc Petram adificabo Ecclesiam meam*, UBI PETRUS IBI ECCLESIA, *ubi Ecclesia ibi nulla mors*, *sed vita aterna*, *& ideo addidit*, *& porta inferi non pravalebunt ei*, *& tibi dabo claves regni calorum.* B. *Petrus*, *cui non inferorum porta pravaluit*, *non cœli porta se clausit : sed è contrario destruxit inferni vestibula*, *patefecit calestia*, *in terris itaque positus*, *cœlum apperuit*, *inferos clausit.* Quid manifestius Pontificis declarat infalibilem authoritatem? vel ipse fateris Ecclesiam esse veritatis columnam: cur ergo eamdem prærogativam Pontifici non ad scribis, cum ex Ambrosii sententiâ ipse Petrus sit ipsa Ecclesia? ubi Petrus definit, Ecclesia definit: atqui Ecclesia definit infalibiliter ergo Petrus definit infalibiliter. Unde quia *Petrus habuit coronam fidei* in psalm. 18. ideo ei dicitur *duc in altum*, *hoc est in profundum disputationum generationis divina.* Serm. in Dom. 5. post Pentec. cujus tanta est in disputationibus decidendis profunditas, ut non nisi in ejus classe infalibilitas sit invenienda, quia *hanc solam Ecclesia navem ascendit Dominus*, *in qua* PETRUS MAGISTER *est constitutus*, *dicente Domino super hanc Petram adificabo Ecclesiam meam.* Ibid. unde Serm. 6. de obitu Theodosii exclamat, *rectè igitur quia Petra Christus*, *Simon nuncupatus est Petrus*, *ut qui cum Domino fidei societatem habebat*, *cum Domino haberet*, *&* NOMINIS DOMINICI UNITATEM, *ut sicut à Christo Christianus dicitur*, *ita & à Petra Christo Petrus Apostolus nuncuparetur.* Anne solo nomine Petrus Ecclesiæ Petra dicitur, sicut nos nomine sumus Christiani à Christo sic dicti, ita & Petrus à Petra Christo solo nomine Petra nuncupatus, & sicut in nobis reipsa non est infalibilitas, & parcipata cum Christo paritas, ita & in Petro reperienda non sit? nequaquam, sed quia quæcumque dixit ipse facta sunt, & quæcumque mandavit creata sunt, ita & Christi dicere Petrum veram Ecclesiæ Petram, fecit, & creavit. Non meam hic audis, sed Hieronymi sententiam Matth. 16. dicentis: *quid est*, *quod ait*, *& ego dico tibi? quia tu mihi dixisti tu es Christus filius Dei vivi*, *& ego dico tibi* NON SERMONE CASSO, QUIA MEUM DIXISSE FECISSE EST: *quia tu es Petrus*: *& super hanc Petram adificabo Ecclesiam meam. Sicut ipse lumen Apostolis donavit*, *ut lumen mundi appellarentur*, *cateraque ex Domino sortiti sunt vocabula: Ita & Simon*, *qui credebat in Petram Christum*, *Petri largitus est nomen ac secundum metaphoram Petra rectè dicitur ei*, ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM SUPER TE. Hic ergo Christus certè asseverat, ac dicendo facit, & constituit Petrum, ut post se sit Petra Ecclesiæ, & decreto immutabili stabilit. quod super nullum alium ædificabitur Ecclesia sua: hic implet, quod ipsi promiserat Christus Joan. 1. dicens *tu vocaberis Cephas*,

quod vocatur Petrus, hic, inquam, promissum præstat, ac re ipsa ei nomen Petrus indit, & designat Ecclesiæ fundamentum. Unde Synodus Ephesina act. 3. recte eructat in hæc verba: *ter beatissimus, & omni laude dignus Petrus Apostolus, qui est Petra & crepido Catholica Ecclesia*, RECTÆ FIDEI FUNDAMENTUM. Hinc ait Leo Papa IX. epist. citata. *Petro non per Angelum, nec per Prophetam, sed proprio ore ipse Dominus Angelorum, & prophetarum sic repromittit in sequentibus, & ego dico tibi, quia tu es Petrus & super hanc Petram adificabo Ecclesiam meam . . . . . quod utique devotissimus ille Petrus non solum vivens, sed etiam moriens demonstravit, quando nimia humiliate, & congruá significatione se crucifigi deorsum verso capite petivit: profecto divina inspiratione prafigurans*, SESE ESSE PRIMUM, ET QUADRUM LAPIDEM *in fundamento, quod est Christus Jesus compaginatum. Coharentem, atque connexum, qui utpote superpositus angulari lapidi*, TOTUM PONDUS ECCLESIASTICÆ FABRICÆ INCOCRUPTIBILI SOLIDATE SUFFERRET, *ac proprii capitis suppositione* OMNIA MEMBRA *corporis Christi, per aptas, & naturales compages usque ad consummationem saculi, quasi usque ad pedes crescientia* INFLEXIBILI COLLO *ad calos sustolleret.* Habes conciliorum habes SS. Patrum, quorum testimoniâ ut Theologiæ armamentaria non diffiteris admittere: accipe & Pontificum tam Gragorii VII. majorum (ad quos provocasti) quam successorum hinc inde dispersa decreta.

In capite libri scribatur Clemens Papa I. in epist. 1. ad Jacobum fratrem Domini in qua dicit. *Simon Petrus, qui vera fidei merito, & integra pradicationis obtentu*, FUNDAMENTUM ESSE ECCLESIÆ DEFINITUS EST, *qua de causa etiam Domini ore divino cognomitatus est* PETRUS *in conventu fratrum positus, apprahensâ manu meâ repente consurgens in auribus Ecclesia hac protulit verba, audite me fratres, & conservi mei, Clementem hunc Episcopum vobis ordino, cui soli mea pradicationis, & doctrina cathedram, trado. Ipsi trado à Domino mihi traditam potestatem ligandi, & solvendi, ut* DE OMNIBUS, QUIBUSCUMQUE DECREVERIT IN TERRIS *hoc decretum sit & in cælis. ligabit enim, quod oportet ligari, & solvet, quod expedit solvi, tamquam* QUI AD LIQUIDUM ECCLESIÆ REGULAM NOVERIT, IPSUM ERGO AUDITE, *scientes, quia quicumque contristaverit* DOCTOREM VERITATIS, PECCAT IN CHRISTUM, *propter quod & vita carebit, ipsum autem,* QUI PRÆEST CÆTERIS, *oportet medici vicem agere, & non fera bestia furore commoveri.* Huic jungatur Anacletus Papa epist. 1. *quod si* DIFFICILIORES *orta fuerint* QUÆSTIONES, *aut Episcoporum, vel majorum Judicia, aut majores causa fuerint*, AD SEDEM APOSTOLICAM (*si appellatum fuerit*) *referantur, quoniam Apostoli hoc statuerunt jussione salvatoris, ut* MAJORES ET DIFFICILIORES QUÆSTIONES

SEMPER AD SEDEM DEFERANTUR APOSTOLICAM, SUPER QUAM CHRISTUS UNIVERSAM CONSTRUXIT ECCLESIAM (ſiſte parum, & reflecte quomodo univerſa Eccleſia, ſecundum te per concilium repræſentata, ſuper cathedram Petri conſtructa ſit, nitatur, & ab ipſa dependeat) *dicente ipſo ad beatum principem Apoſtolorum Petrum, tu es, inquit, Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et epiſtolâ tertia. *Si quæ vero cauſæ difficiliores inter vos ortæ fuerint*, AD HUJUS S. SEDIS ASPICEM, *eas, quaſi* AD CAPUT *referte, ut Apoſtolico* TERMINETUR *judicio, quia ſic Dominum velle ab eoque: ita conſtitutum eſſe, antedictis teſtimoniis declaratur.* Si Pontificis judicio terminetur cauſæ deciſio, ergone nulla datur ulterior appellatio? nullam dari judico; vel, ſi fallar, latinitatem non intelligo: de hoc poſtea ad rem præſentem redeamus, infalibilemque Pontificis authoritatem amplius ſtabiliamus. Audi Lucium ad Epiſcopos Galliæ & Hiſpaniæ. Felicem 1. epiſtola 3. Marcum in epiſt. ad Athanaſ. & ægypt. hi ſummi Pontifices uno ore eiſdem verbis, eodem tenore debuccinant, *hæc S. & Apoſtolica* MATER *omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis gratiam* A TRAMITE APOSTOLICÆ TRADITIONIS NUMQUAM ERRASSE *probatur, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit, ſed ut in exordio normam fidei Apoſtolicæ percepit ab authoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus illibata finetenus manet, ſecundum ipſius Domini ſalvatoris divinam pollicitationem qui Diſcipulorum ſuorum* PRINCIPI *in ſuis factus eſt Evangeliis, Petre, inquiens ecce ſatanas expetivit, ut cribraret vos ſicut qui cribrat triticum, ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos, ... Dominus & ſalvator omnium, cujus fides eſt, qui pro nobis mori non dubitavit, & proprio nos ſuo redemit ſanguine* FIDEM BEATI PETRI NON DEFECTURAM PROMISIT, ET CONFIRMARE EUM FRATRES SUOS ADMONUIT, quod APOSTOLICOS PONTIFICES *meæ exiguitatis* PRÆDECESSORES CONFIDENTER FECISSE *ſemper cunctis eſt cognitum.* Hinc Caius Papa in ſua Decretali ait *illud ſtatuentes vobis, & omnibus ſervare mandamus, quæcumque difficiles quæſtiones per ſingulas provincias exortæ fuerunt, ſemper* AD SEDEM APOSTOLICAM REFERANTUR. Hinc ibidem laudans confidentialem de dubiis quæſtionibus ad ſedem Apoſtolicam acceſſum inquit de hoc quod *necdum plena luce claruerit, ad eumdem fontem, de quo ea ſalutaris manavit lympha, recurritis. Id eſt, quod debita charitate ſumus amplexi:* nec immeritò, quia *hoc predeceſſores noſtros multarum regionum Epiſcopis egiſſe liquet*, inquit, Fabianus Papa epiſt. 2. Idque fecerunt non ex arrogata ſibi authoritate, ſed ut inquit Dionyſius Papa, OLIM ET AB INITIO *tantam percepimus à B. Petro Apoſtolorum principe fiduciam, ut* HABEAMUS AUTHORITATEM *univerſali Eccleſiæ auxiliante Domino ſubvenire, & quidquid*

nocivum

nocivum est AUTHORITATE APOSTOLICA *corrigere & emendare.* Hanc suam & suorum prædecessorum authoritatem non minus perspectam habuit Felix 1. epist. 3. *suscipientes fraternitates tuæ epistolas, quibus me requisisti* SUPER FIDEI DOCUMENTIS, *quæ ab aliis habeantur aliter, quam rectæ fidei contineant Sacramenta, prout Dominus dedit pro fraternitatis amore respondere non resultavimus,* SEMPER ENIM DUBIA, ET MAJORA NEGOTIA TERMINUM AB HAC S. SEDE, *à tempore Apostolorum qui eam suis documentis instruxerunt,* ACCIPERE CONSUERUNT *& ideo tu rectè fecisti, quod hujus S. Sedis consultis, te cæterosque firmari & instrui voluisti.* Supersedeo à Pontificum relatione, omnes enim sibi in hac re adeo constantes, & unanimes sunt, ut super vacaneum foret alios adjungere unus tamen citatorum agmen concludat Calistus 1. in decretali ad Benedict. Episc. & habetur d. 12. c. non decet. ubi tanta Pontificum resolutiones evehit energia, ut præter ejus assensum cætera omnia definita irrita esse Pontificali asserat libertate: lege verba. *Fraternitatis amore constringimur, & Apostolico moderamine convenimur, ut* CONSULTIS FRATRUM *(prout Dominus dederit)* RESPONDEAMUS, *eosque Apostolicæ sedis* AUTHORITATE INSTRUAMUS. *Non decet enim* A CAPITE *membra dissidere, sed juxta S. Scripturæ testimonium, omnia membra caput sequantur, nulli vero dubium est, quod* APOSTOLICA ECCLESIA *Mater sit omnium Ecclesiarum, à cujus regulis nullatenus vos convenit deviare, & sicut Dei filius venit facere voluntatem patris, sic & vos voluntatem vestræ impleatis Matris, quæ est Ecclesia, cujus caput (ut prædictum est)* ROMANA EXISTIT ECCLESIA: *quidquid ergo sine discretione justitiæ contra hujus disciplinam actum fuerit,* RATUM HABERI *ratio nulla permittit.* Etenim *olim & ab initio* tantum præstat præ cæteris in Ecclesia summus Pontifex, *ut habeamus authoritatem pro universali Ecclesia ad* RECTAM DEFENDENDAM FIDEM, liberius Epist. 13. non concionando tantùm, aliisque similibus subsidiis, sed & infalibili in rebus fidei definitione, tam solida siquidem & inconcussa est Pontificis resolutio, ut EJUS TERRESTRE JUDICIUM PRÆJUDICATA AUTHORITAS SIT IN CÆLO, *ut quæ in terris, aut ligata sint, aut soluta, statuti ejusdem conditionem habeant in cælo.* S. Hilar. in c. 16. Matth. Pontificem igitur ut infalibilem magistrum revereamur, & hunc *SI MAGISTRUM, & primuum Apostolorum,* NON OPORTET INSCRIBERE, *multo magis eos qui nihil sunt;* sic exclamat Chrysost. hom. 3. in 1. c. 1. ad cor. Pontificis enim authoritas ex ejusdem sententia tanta est authoritas, ut possit *QUÆ DEUS SOLUS concedere potest, scilicet, ut Ecclesia, tot tantisque fluctibus impetu irrumpentibus* IMMOBILIS *maneat, cujus* PASTOR, ET CAPUT *piscator homo, atque ignobilis terrarum orbe reluctante, adamantis naturam firmitate superet, hæc, inquam, omnia, quæ*

SOLIUS DEI SUNT, *se pollicetur daturum* in Matth. 13. hom. 55. imò & jam dedit dum dixit *pasce oves meas*, etenim, *qui ante lachrymas pevaricator exstitit, post lachrymas pastor assumptus est, & alios regendos accepit.* Ambr. serm. fer. 4. hebdom. S. Regendos, inquam, accepit, idque tantâ præstantiâ, ut in rebus fidei sit Christianorum dux, Doctor, & Magister infalibilis, *quæ si ei statim* (ab initio sui Apostolatus) *dedisset Christus*; *NUMQUAM IN EO PRAVÆ CONFESSIONIS ERROR INVENISSET LOCUM.* Hieron. in 16. Matth. cum jam constet & probatum sit ei datum esse, dicamus intrepidè *numquam in eo pravæ confeßionis error inveniet, vel invenit locum.* Siquidem *ille SUMMAM TENERE FIDEI pronuntiatus est, qui & Dei filium cognovit, & hominem non negavit.* Ambrosf. l. 4. in Evang. Luc. hinc est, *quod omnis Christianus, qui SUSCIPIT VERBUM PETRI thronus fit Petri, & Petrus sedet in eo* Chrys. hom. 22. ex variis in Matth. densam hanc testium omni exceptione majorum nubem, quis dissipabit? agnoscat ergo omnis Christianus Petrum ejusdemque successorem quemcumque ut fundamentum Ecclesiæ, sed fundamentum fundatum, verum etiam non recuset Christum honorare ut fundamentum primarium, etenim, *UBI CHRISTUS NON EST FUNDAMENTUM, nullum boni operis est superædificium; jam videndum est de iis, qui superædificant aurum, & argentum, & lapides pratiosos sanctitatis scilicet*, DOCTRINÆ FIDEI, *&c. ARCHITECTI FUERE SUMMI PONTIFICES, cooperatores Christianißimi emperatores* S. Antonin. c. 22. de Maria Magdalena, & Martha. Nulla igitur est repugnantia quod Petrus sit Ecclesiæ fundamentum, & nihilominus sit & Christus cum distinctione tamen primarii & secundarii; sicut non est repugnantia, quod Christus sit rex regnum, & Dominantium, & nihilomiuus Rex Ludovicus sit verus Galliarum Rex *Christianißimus, & re, & nomine.* (Novit hoc totus mundus) Illustrissime Domine si vestrum argumentum concludat Petrum non esse Ecclesiæ fundamentum ex eo quod Augustinus dicat Christum esse Ecclesiæ fundamentum, profecto numquid eodem argumentandi genere concludere possum Regem Galliarum Ludovicum non esse verum Galliarum Monarcham, cum constet Christum totius mundi esse Monarcham consequenter & Galliarum? numquid consequentiam meam negabis? eliges mihi respondere, negabo, alioquin Galliarum Regis aulæ cedere deberes. Quamcumque ergo ad hanc paritatem assignaveris disparitatis umbram, eam continuò in utroque casu urgebo, & cogam te vel invitum Petrum Ecclesiæ fundamentum proclamare, *non enim potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis* TU ES PEERUS, ET SUPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM, *& quæ dicta sunt rerum prabatur effectibus, quia* IN SEDE APOSTOLICA EXTRA

MACULAM SEMPER EST CATHOLICA SERVATA RELIGIO. Eusebius Papa Epist. 3. Vides hic iternm utrumque probatum Petrum scilicet esse Ecclesiæ fundamentum (& quidem *ex Christi sententia*) & Petri & successorum ejus in fide soliditatem, quos ideo Dominus *ad fastigium Sacerdotale provexit, ut mandatis ipsius inhærentes, in quadam Sacerdotum ejus specula constituti* PROHIBEAMUS ILLICITA, ET SEQUENDA DOCEAMUS. Sic Pontifices loquentes inducit Marcellus Papa epis. 1. & habetur 24. q. 1. c. rogamus. De hoc satis, ad alia me converto.

Attentius, fateor, perlegi quod ex iis, quæ hactenus impugnavi, mihi contradictoriis colligis, & his verbis exprimis. *Duo colligimus: alterum non in unum Petrum collatam esse regendi potestatem: alterum Episcopos esse verè Apostolorum successores: cum enim dicat Ambrosius nobiscum oves, suscepisse vos in Apostolis agnoscit, quia succedimus Apostolis.* (Hæc adhuc sano sensu intellecta, sano sensu à te scripta suspicor) *hinc insignis B. Ambrosii discipulus B. Augustinus, Magistrum pluribus in locis secutus. quidquid Petro videtur singulariter attributum, cæteris Apostolis. atque adeo eorum successoribus dictum docet.. Longe ante Ambrosium idem senserat Cyprianus.* Vereor profecto non sano sensu hæc ultima à te allegari, non imputo tamen pertinaciæ sed malæ intelligentiæ vel meæ, vel vestræ: utinam ego errem! si intelligas quod, quæ Petro singulariter dicta sunt, cæteris Apostolis, eorumque successoribus dictum sit per distributionem accomodam servata majori Petro præ cæteris Præferentia, superioritate, imò & aliorum in pascendo Dominico grege à Petro dependentiâ eo sensu intellectâ, quo jam ante ex SS. Patribus demonstravi, congratulor, & acquiesco. Si vero intelligas Apostolis eorumque successoribus eodem modo dictum esse, quo Petro dictum est, profecto dissentio, maxime si parem putes Apostolos eorumque successores habere in oves Christi potestatem cum Petro ejusque successoribus: hoc enim jam dudum ex SS. Patribus convici falsissimum: Iterum dico utinam errem hanc esse vestram opinionem! sed suspicio mea eo altius excrescit quo plenius reflectam ultima vestra verba, *longè ante Ambrosium idem senserat S. Cyprianus,* & locum addis ex libro de unitate Ecclesiæ: vis scire quare mea suspicio excrescat? ratio est quia scio quod ex hoc loco Cypriani quidam traxerunt Cathedram Sancti Petri, in qua huc usque successionis ordine sedent Romani Pontifices, Cathedris aliis non esse præferendam, aut potestate superiorem, sed pertinaciter affirmabant quemlibet Episcopum jure divino in sua Diœcesi supremum esse, nec unum alio superiorem, quasi singulis æqualem dederit in oves Christi potestatem. Hæc refert Lælius Jordanus Episcopus Acernensis in suo tractatu de Romanæ sedis origine & potestate adversùs jam præfatos jussu

Pii IV. edito. Quia, inquam, verba vestra videntur eorum sensum redolere, & omnes eorum probas antea assumpsisti, vereor, nè ipsorum opinioni subscripseris: sed tamen tibi non ausim adscribere titulos, quibus ipse illos diffamat, dicens illorum opinionem esse in fraudem adducentem, Catholicæ Religioni contrariam, Diabolico potius quàm divino spiritu interpretantem loca Scripturę, &c. Hæc inquam tibi adscribere non ausim, quamvis eorum opinioni materialiter subscripsisses; potes enim deceptus esse, & putasse te verum Cyprianum legisse, ubi tamen fortè legeris Cyprianum ab illis malevolis in hunc modum detortum *ut unus est Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus, ita Episcopatum quoque, id est dignitatem & POTESTALEM EPISCOPALEM, unum ac indivisum penes singulos in solidum esse oportere.* Indè arguentes sub uno summo Episcopo Christo unico capite, & sponso unicæ Ecclesiæ potestatem esse in solidum pęnes quemque Episcopum. Hoc itaque errore abductus (si talis sit vestra opinio) hanc opinionem defendendam suscepisti: sed fœcem hanc ex mentis vestrę oculis purgabit vulgata, & correcta Cypriani lectio, quę sic sonat. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus, quam unitatem firmiter tenere, & judicare debemus, maximè nos Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, Episcopatum unum, & indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida pravaricatione corumpat, Episcopatus unus est* cujus à SINGULIS IN SOLIDUM PARS TENETUR. Non ergo vestræ (si tamen vestra sit) vel illorum sententiæ Patronus est Cyprianus, multo minùs alii SS. Patres, ad quos ante citatos te remitto.

Quàm acriter torserit Pontificum impugnatores hic Cypriani liber, ipsimet testati sunt, dum doctrinam sanam aversantes apud Hęreticos Scriptores latibulum inquirentes (uti manifestè ostendit sagacissimus veritatis indagator, adversùs fraudulentos, & manifestos hostes murus, & anté murale, Amplissimus D. Petri Lovanii Decanus, ac in eadem Academia doctoratûs laureâ decoratus *D. du Bois*, dum agit contra Clientem vestrum Ægidium de Witte) coacti fuerint textum Cypriani truncare, mutilare, invertere, pervertere. O scandalosos veritatis fictæ defensores! fateor necesse est, ut veniant scandala: væ autem homini illi per quem scandalum venerit, expedit ei, ut mola asinaria collo appexsa mergatur in profundum maris. Adducam ego eos ad profundum doctrinæ Cypriani mare, eique immergam illos, & quidem, ut submergantur, nisi sententiam suam abjurent: sed spero meliora, imò & optima, in tantum, ut cælesti Cypriani doctrinę pabulo sanati, enutriti, vegetesque effecti, ad ovile Dominicum sub uno in Ecclesia capite Summo Pontifice, *necessario Christianorum consiliario*, solo in terris infalibili Magistro, universalis Ecclesiæ Pastore, à scabie sua sanati, ut cæteræ

oves

oves sanè Pastoris sui pascua depascentes, vocem ejus audire, agnoscere, sese dirigi, eamque sequi non dedignaturi sint. Ecce movetur, imo mota est aqua profondi Cypriani Maris, non solum, qui prius ingressus fuerit, sed & omnes qui ingredientur eam sanabuntur. Venite ergo filii Ecclesiæ, & audite inconcussam D. Cypriani doctrinam: audite quomodo nostrum fidei Magistrum exaltet, audite quomodo de SOLO *Summo Pontifice* Christi in terris Vicario dicat, quod coerceat diabolum, *qui secundum Apostolum transfigurat se in Angelum lucis, & ministros subornat suos, velut ministros justitiæ, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperatiooem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antechristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur: hoc eo fit, fratres dilectissimi*, (ecce originem & causam malarum, hæreticarumque opinionum) DUM AD VERITATIS ORIGINEM NON REDITUR, NEC CAPUT QUÆRITUR, NEC MAGISTRI CÆLESTIS DOCTRINA SERVATUR. *Quæ si quis consideret, & examinet tractatu longo, & argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum:* EGO DICO TIBI, *inquit*, QUIA TU ES PETRUS, ET SUPER ISTAM PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM, ET PORTÆ INFERORUM NON VINCENIT EAM: ET TIBI DABO CLAVES REGNI CÆLORUM, ET QUÆ LIGAVERIS SUPER TERRAM, ERUNT LIGATA ET IN CÆLIS, ET QUÆCUMQUE SOLVERIS SUPER TERRAM ERUNT SOLUTA ET IN CÆLIS. *Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit* PASCE OVES MEAS. *Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite spiritum S. si cui remiseritis peccata remittuntur illi, si cui tenueritis, tenebuntur: tamen ut* UNITATEM *manifestaret*, UNAM CATHEDRAM *constituit*, ET UNITATIS EJUSDEM ORIGINEM AB UNO INCIPIENTEM SUA AUTHORITATE DISPOSUIT. *Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus pari consortio præditi, & honoris, & potestatis; sed* EXORDIUM AB UNITATE *proficiscitur*. PRIMATUS PETRO DATUR UT UNA CHRISTI ECCLESIA ET CATHEDRA UNA *monstretur. Et pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur, quam unam Ecclesiam etiam in cantico canticornm spiritus S. ex persona Domini designat, & dicit, una est columba mea, perfecta mea, una est Matri suæ, electa genitrici suæ: hanc Ecclesiæ unitatem, qui non tenet, tenere se fidem credit? qui Ecclesiæ renititur, & resistit, qui* CATHEDRAM PETRI SUPER QUAM FUNDATA EST ECCESIA DESERIT, IN ECCLESIA SE ESSE CONID IT? Ad hanc non mutilam, non perversam Cypriani textûs citationem obmutescant infalibilitatis Pontificiæ impugnatores; obmutescant, inquam, dum audiunt, nihil veri dici, sed omnia falsa, & hæretica proferri, vel ad minus (si

F

malint, quod si loquar, falsitati obnoxia esse, *dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec Magistri cœlestis doctrina servatur.* Quem Magistrum, veritatis originem, & caput probat Cyprianus esse Petrum, & per consequens omnes ejus successores his verbis : *loquitur Dominus ad Petrum: ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super istam Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. &c.* nec una contentus Cyprianus proba ex scriptura desumpta, sed & aliam subtexit dicens, iterum eidem post resurrectionem suam dicit pasce oves meas, SUPER ILLUM UNUM ÆDIFICAT ECCLESIAM SUAM, ET ILLI PASCENDAS MANDAT OVES SUAS. Audiant hæc & intelligant concilii supra Pontifices propugnatores, & discant ex Cypriano, quomodo Domiuus non super se ipsum tantum, sed & *super illum unum Petrum* ædificet Ecclesiam suam, & simul concludant Ecclesiæ infalibilitatem, non à concilio per ipsos Ecclesiam repræsentante, neque à Christianis per orbem dispersis, sed à Petri Successorumque ejus soliditate dependere sicut ædificium dependet à fundamento, quo perdurante stat ædificium, quod sublato ruit, sicut & rueret Ecclesia si Petri soliditas ex cathedra loquentis vacillaret, quod impossibile est, imò tanta ejus est in fide soliditas, *ut exortem se ministerii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset à* PETRI SOLIDITATE *recedere.* d. 19. c. ita Dominus quin imò tanta est Pontificis in docendo authoritas ut quicumque aliquid, quod ab Ecclesia nondum definitum, vel in scripturis revelatum est, tamquam de fide credendum proponere ausi fuerint, sine Romani Pontificis cousultatione, approbatione, & decisione sese periculo errorem docendi exponant. Quod dixi probo : illi periculo eroneè docendi se exponunt, qui ad veritatis originem non redeunt, nec caput quærunt, nec magistri cœlestis doctrinam servant, atqui qui aliud nondum ab Ecclesia definitum vel in scripturis revelatum, ut de fide credendum proponere audent sine Romani Pontificis consultatione, approbatione, & decisione ad veritatis originem non redeunt, nec caput quærunt, nec magistri cælestis doctrinam servant, ergo periculo eronèe docendi sese exponunt. Majorem quis negabit? minor autem sic probatur. Magistri cælestis doctrina est, quod Pontifex sit veritatis origo, caput vsibile in terris, ejusque doctrina sit ipsius met magistri cælestis, uti antea ex Cypriano probatum est, ergo illi, qui sine Romani Pontificis consultatione, approbatione, & decisione aliquid nondum ab Ecclesia definitum vel in scripturis revelatum, ut de fide credendum proponere audent ad veritatis originem non redeunt, nec caput quærunt, nec magistri cælestis doctrinam servant. Et per consequens periculo errandi sese exponunt. Nec putes me hunc syllogismum pro particularibus tantum formasse. Minime gentium : verumtamen buccis apertis pronuntio, me etiam

ad Patres in concilio esto generali congregatos extendere; & si absit summus Pontifex etiam vocatus & accedere renuens Acephalum esse concilium, & quæ definiuntur errori obnoxia esse, etenim *qui œcumenicum concilium vocari queat, quod nec* ROMANUS ANTISTES, CITRA CUJUS AUTHORITATEM NULLO MODO FIERI POTEST, *ut res Ecclesiastica ad normam dirigantur*, GRATUM HABUIT? S. Damasc. in vita Stephani. Segregant enim ipsi sese ab eo, à quo nullo modo segregare se possunt, unde de ipsis scriptum est, *quicumque ab unitate fidei, vel* SOCIETATE PETRI QUOLIBET MODO SEMET IPSOS SEGREGAVERINT, *tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec januam regni cælorum possunt ingredi* 24. q. 1. c. quicumque.

At reponis, *suborta quacumque disceptatione Christus non ad Petrum mittit, sed ad Ecclesiam. Dic Ecclesia, hoc Petro dicebatur sicut & cæteris: debet ergo successor Petri audire Ecclesiam, nisi velit haberi sicut ethnicus, & publicanus* (vach frigidium illud verbum! *non intelligis sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum esse* MAGISTRAM, *& reginam? quis te Pontificum judicem constituit, quorum* SACRIS INSTITUTIS REGERIS? *tenes illud sacrum oraculum nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari? quomodo judicas illos, qui solius Dei judicio sunt subjecti? adverte:* SCIS, IN QUOD TE BARATHRUM PRÆCIPITARIS. Stephanus Papa in epist. ad Basilium Imp. utinam Romæ semel epistola vestra legatur! sperarem profectò justam Pontificis definitionem, (imò vererer doctrinæ damnationem) & sic non solum per epistolam meam, verum etiam per universæ Ecclesiæ consensum jure divino Pontificis decreto deferendum, Papa infallibilis in triumphum duceretur. Si semel Prophetarem quomodo gauderem, & multi mecum? interim claudatur parentesis & ad rem nostram transeamus, dum Româ definitionem præstolamur) *coram Petro etiam dicebat Christus se affuturum iis, qui in ejus nomine forent congregati.* Hactenus vestra verba sunt. Quibus non ego, sed Cyprianus respondet dicens, *non te vanâ interpretatione decipias, quod dixerit Dominus ubicumque fuerint duo, vel tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum:* CORRUPTORES EVANGELII, ATQUE INTERPRÆTES FALSI *externa ponunt, & superiora prætereunt*, PARTIS MEMORES, ET PARTEM SUBDOLE COMPRIMENTES. *Dominus enim, cum Discipulis suis unanimitatem suaderet, & pacem: dico, inquit, vobis, quoniam si duobus ex vobis convenerit in terra, de omni re quam petieritis continget vobis à patre meo, qui in cælis est, ubicumque enim fuerint duo, aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum ostendens* NON MULTITUDINI, SED UNANIMITATI *deprecantium multum tribui. Si duobus, inquit, ex vobis* CONVENERIT *in terra*, UNANIMITATEM *prius posuit*, CONCORDIAM PACIS *antè præmisit, ut* CONVENIAT *nobis fideliter, & firmiter docuit*. loco citato. Quomodo possunt in nomine Christi colligi, qui *dum conventicula*

ſibi diverſa conſtituunt, VERITATIS CAPUT ATQUE ORIGINEM (Romanum Pontificem) RELIQUERUNT. ibid. Quomodo Chriſtus in medio eorum eſſe poteſt, qui A PETRI SOCIETATE SE SEGRAVERUNT, *nec vinculis peccatorum abſoluti, nec januam Regni cælorum ingredi poſſunt?* Quomodo Chriſtus aſſiſtet illis, qui ſeſe ab ejus obedientia ſequeſtrant, de quo dicitur in Concilio Nyceno Canone 39. deſumpto ex Bibliotheca Marcelli ſecundi Romani Pontificis num. 44. *Veneramur ſecundum ſcripturas, & Canonum definitionem ſanctiſſimum Romanæ, antiquæque Eccleſiæ* EPISCOPUM PRIMUM ESSE ET MAXIMUM *omnium Epiſcoporum. Ut autem cunctis ditionis ſuæ Nationibus imperat Patriarcha; & leges indicit, & ut à principio Petrus Chriſti Vicarius*, RELIGIONI ECCLESIIS, CÆTERISQUE AD CHRISTUM REBUS PERTINENTIBUS PRÆFECTUS, PRINCIPUM CHRISTIANORUM, PROVINCIARUM ET OMNIUM GENTIUM DOMINUS, *& rector erat: ita ille cujus* PRINCIPATUS ROMÆ EST, PETRO SIMILIS ET AUTHORITATE PAR, PATRIARCHARUM OMNIUM DOMINATUM ET PRINCIPATUM OBTINET. *Huic Sanctioni ſi quis repugnaverit, & obſiſtere auſus fuerit, totius Syuodi Decreto anathemati ſubjiciatur.* Vide an hunc Canonem ex inſtituta deliberatione, & exquiſitis Patrum votis non eſſe concinnatum, nec conciliariter editum aſſerere auſus fueris. O præclarum Canonem! hic unicus, & ſolus, deſtruit omnia Epiſtolæ veſtræ puncta, uti legentibus ad oculum patebit. Vide igitur, Illu. D. an talibus taliter congregatis ſine Romani Pontificis eſto accedere renuentis præſentia applicari poſſit (non enim ego applico ne cenſurare videar) Cypriani petitio, an *qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?* Scio quid ſentiam: in Eccleſia me eſſe confido, quia adhæreo ejus ſententiæ quæ Summo Pontifici in perſona Petri dixit, PASCE OVES MEAS, SUPER ILLUM UNUM ÆDIFICAT ECCLESIAM SUAM, ET ILLI PASCENDAS MANDAT OVES SUAS. An non oves Chriſti Patres in Concilio congregati? ut quid ergo eos Petri cœleſtis doctrinæ Pabulo nutriri non permittis, cum illi eos Dominus, ut oves paſcendas mandet? An qui oves Chriſti diſperſas paſcit congregatas paſcere nequibit? annè ordine inverſo oves Paſtorem ſuum paſcent? neſcio ubi hoc didiceris. Fateor quidem Patres ſcilicet Epiſcopi & congregati, & diſperſi Paſtores ſunt, populumque erudiendo Paſtorum minus obeunt, ſed doctrinæ papulum, non niſi ex Scriptura manifeſtè deſumptum, vel ex Scriptura occulta, Pontificis manifeſtâ & infalibili definitione erutum ovibus proponunt, etenim Summus Pontifex ipſis præficitur, ut ad ipſum *recurrerent, ſi fortè inter ſe diſſentirent*. Anſel. 16. Matth. Paſcunt & paſcuntur, ut præclarè D. Bern. l. 3. de conſid. c. 8. Eugenium Papam alloquens teſtatur his verbis, *ſunt quidem & alii Cœli Janitores, & gregum Paſtores, ſed tu tanto glorioſius, quanto & differentius,*

differentius, utrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi aßignatos greges, singuli singulos, TIBI UNIVERSI CREDITI, UNI UNUS. NON MODO OVIUM, SED ET PASTORUM TU OMNIUM PASTOR. *Unde id probem quæris? ex verbo Domini? cui enim non dico* EPISCOPORUM, SED ETIAM APOSTOLORUM SIC ABSOLUTE, ET INDISCRETE TOTÆ COMMISSÆ SUNT OVES. *Si me amas Petre,* PASCE OVES MEAS. *Quas? illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regnis,* OVES MEAS, *inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed* ASSIGNASSE OMNES? *nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et forte præsentes cæteri condiscipuli erant, cum committens* UNI, UNITATEM *omnibus commendaret* IN UNO GREGE ET UNO PASTORE. *Quis se alter ingerat* PETRI PRÆROGATIVÆ? *ergo juxta canones tuos alii in partem sollicitudinis, tu in* PLENITUDINEM *vocatus es* POTESTATIS. Idque à Domino prudentissime ita dispositum est, quia, *quod* UNUS *electus est, qui cæteris præponeretur,* IN SCISMATIS REMEDIUM *factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi rumperet Ecclesiam.* 93. c. legimus. Idem Anselmus Hieron. & alii testantur. Etenim nisi Christus Pontifici fidei controversias decidere, & finaliter declarare dedisset, numquid Christi Ecclesiam rumpi periculum foret: supponamus Ecclesiæ patres congregatos Pontificem citasse, eumque accedere noluisse, postmodum Patres inter se fidei controversiam discussisse, post acrem disputationem manere divisos, post suffragia expetita utrimque numero pares diversa pertinaciter sentire, quænam pars ibi Ecclesiæ dogma constituet, cum non sit minor unius, quam alterius authoritas. Certè non video cui parti sit deferendum: ecce Angustiatam, imò & disrumpendam Christi Ecclesiam, cum non nisi una fides in Ecclesia esse possit: quod si tunc & Romanus Pontifex jus suum sibi retinere volens (cujus juri de infalibilitate in rebus fidei decernendis moderno tempore totus fere mundus subscribit, Gallia sola excepta non tamen omni, uti ex præclaris Galliæ Episcopis ad Pontificem in causa Jansenii recurrentibus, in prima mea Epistola Apologetica ostendi) definitionem suam exhibeat; numquid ipsius aulici (ùt tu derisoriè eos vocas, & in eo nos gloriamur, quod ipsius aulici vocemur) ipsius sententiæ acquiescent, refragantibus etiam bipartitis patribus? numquid unica Domini tunica (indiscissa tamen) tripartita apparebit? merito ergo cum Cypriano exclamo. *Quis ergo sic est sceleratus & perfidus, quis sic discordiæ furore vesanus, ut aut credat scindi posse, aut audeat scindere unitatem Dei, vestem Domini, Ecclesiam Christi? monet ipse in Evangelio suo, & monet dicens,* ERIT UNUS GREX, ET UNUS PASTOR, *& esse posse* UNO IN LOCO *aliquis existimat, aut* MULTOS PASTORES, AUT PLURES GREGES? absit, ideoque Dominus, ut hanc *unitatem manifestaret unam Catho-*

dram constituit, & *UNITATIS EJUS ORIGINEM AB UNO INCIPIENTEM sua authoritate disposuit. PRIMATUS PETRO DATUR, UT UNA CHRISTI ECCLESIA ET CATHEDRA UNA MONSTRETUR.* Una ergo Christi Ecclesia est, sed *nullam aliam esse constat, nisi qua in Apostolica radice fundata* 24. 9. 1. c. pudenda, ut pote *in Petro Dominus superquem adificat Ecclesiam UNITATIS ORIGINEM INSTITUIT, & ostendit.* Cyprian. epist. 73. qui ergo non præsente per se, vel per alios, vel sine ejus assensu concilia celebrant, *an secum esse Christum cum collecti fuerint opinantur, qui extra Ecclesiam colliguntur? tales etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur, inexpiabilis, & gravis culpa discordia nec passione purgatur.* Cypr. l. de unitate Eccl. amplius ampliusque Pontificem supra Concilia eveham occasione illius, quod de D. Leone refers, & ostendam te vel canonum statuta ignorare vel scientem & volentem mordicus Pontifices impugnare.

Ommissâ historiâ, sic eructas, *si & infalibilem se fidei custodem, & Episcopum Episcoporum Leo se credidisset, quid erat necesse ex toto terrarum orbe congregari sacerdotes, ne aliquid ultra esset, aut in fide debium, aut in charitate divisum? poterat solus Leo, & vulneratam fidem sanare, & depositum sua sedi restituere flavianum.* Fateor non erat necesse ex toto terrarum orbe congregari sacerdotes, ne aliquid esset aut in fide dubium, aut in charitate divisum. Poterat solus Leo & vulneratam fidem sanare, & depositum suæ sedi restituere flavianum poterat, inquam: at dices, non fecit. Transeat: quid inde concludis? ergo non potuit: negatur consequentia: non enim valet consequentia à non usu potentiæ ad non potentiam: logicam repetas, sed non Gallicam, quia illa turpiter te Syllogizare docuit, ut patet, & patebit infra dum ex Adriano sexto non logico, sed scenico argumentandi genere probas Pontificem esse falibilem. Quod autem poterat Leo, possitque omnis ejus successor tam ineluctabiliter definire, ne ultra sit aliquid vel in fide dubium, vel in charitate divisum, Episcopum suæ sedi restituere extra vel in concilio patet evidentissime cum Romano Pontifici *privilegia specialiter sint concessa tam de congregandis conciliis*, & JUDICIIS AC RESTITUTIONIBUS EPISCOPORUM, QUAM DE SUMMIS ECCLESIARUM NEGOTIIS 2. 96. c. ideo. Idque tam irrefragibiliter ut apud ipsum terminum sumere probem ex testimoniis eorum, ad quos provocasti. Julius I. in rescripto contra orientales manifestè fatetur *canonibus in Nycenâ Synodo jubentibus non debere præter sententiam Romani Pontificis ullo modo concilia celebrari, nec* EPISCOPOS DAMNARI, *Canonibus præcipientibus* NIHIL EXTRA ROMANUM DECERNI PONTIFICEM, CUI HÆC ET MAJORA ECCLESIARUM NEGOTIA, *tam ab*

ipso Domino, quàm ab omnibus universorum Conciliorum fratribus privilegia contradita sunt. Hinc authoritatem suam exercens in hæc prorumpit verba. *His taliter consideratis atque discretis tamquam omnium curam gerentes propter sedis propria dignitatem* SUSCEPIMUS EOS IN COMMUNIONEM SINGULISQUE CUM SUIS AUTHORITATE HUJUS S. SEDIS REBUS PROPRIAS REDDIMUS ECCLESIAS, *quoniam HUIC S. SEDI, propter pravorum hominum insidias ipso Domino instituente & SS. Apostolis, eorumqne successoribus per singula Concilia roborantibus, HOC SEMPER LICUIT LICEBITQUE IN PERPETUUM.* Undè si in Conciliis damnati sint Episcopi, Pontificem appellare possunt, & ab ipso, *cui vice Apostolorum Principis, universalis Ecclesiæ cura commissa est providendum est auxiliante ipso summo Apostolo, nè deinceps talia fiant.* Julius epist. 1. Etenim ejus *dispositioni omnes majores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum Judicia antiqua Apostolorum, eorumque successorum, atque Canonum authoritas reservavit.* Concil. Nyc. c. 2 Scrutantur ergo Pontifices Conciliorum sententias, & reorum accusationes, *ut ab ea omnes oppreßi, & INJUSTE DAMNATI RESTITUTIONEM SUMANT.* 2. q. 1. c. ideo huic. Quin imo & ipse Leo hanc suam prærogativam supra Concilia mordicus semper sustinuit, dum audacter, & intrepidè sibi adscripsit, quod etiam in Conciliis à se veriras defendatur. Accipe ejus verba, *olim & ab initio IN CONCILIIS percepimus, UT AUTHORITATEM HABEAMUS, AD VERITATEM PRO PACE NOSTRA DEFENDENDAM.* epist. 24. Agebat dum hoc scripsit de ipsa causa, quam nobis objecisti, scilicet Flaviani, ita ut meritò dicam ipsum causam illam in Concilio ventilatam terminasse, ipsique finale judicium adscribendum esse, sicut multi etiam Successores ejus Summi Pontifices ipsi attribuerunt. Dum hanc epistolam 24. legi aliud reflexi, quod scilicet *mentita sit iniquitas sibi*, dum non citatis verbis, sed solis locis epist. 24. 25. 26. hunc Leonem undecim sæculorum Pontificibus annumerasti, qui se Canonibus obnoxios esse fassi sunt: (ut erroneè prætendis) vel alium legisti Leonem, vel hunc non legisti, non enim habetur aliquod vestigium hujus sententiæ, quod se Canonibus obnoxium agnovisset; sed è contrà ex epist. 24. jam ostendi contrarium, & amplius ostendo ex epist. 59. ubi dicit se acta Synodi approbare, & aliqua repræhendere, numquid hæc superioris sunt munera? accipe iterum ejus verba: *cum scripta direxerim, quæ evidenter ostenderunt, me ea, quæ de fide Catholica in prædicta Synodo definita fuerant, approbare: sed in eisdem literis ea, quæ per occasionem Synodi malè sunt attentata REPRÆHENDERAM.* Miror certe virum in Ecclesiasticis versatissimum hæc ignorasse: utinam non crassa sit ignorantia vestra, vel affectata! hinc patere quod veteranus in Theologicis miles impugneris à juvene vix Theologiæ tyrocinio ereptus, viginti septem annorum (in fide sacerdotis sic protestor) impensis pro Theologia tribus,

aut quatuor annis : ab illo te ſinas duci ad judices, adquos appellaſti, & à quibus non datur appellatio. Regrediatur in arenam Julius I. in epiſtola 1. ad orientales nervoſiſſime probans Pontificis ſupra concilia authoritatem, Epiſcoporum negotia ab ipſo finienda &c. audi ejus in verba. *IPSI PRIMÆ SEDIS ECCLESIÆ CONVOCANDARUM GENERALIUM SYNODORUM, JURA ET JUDICIA EPISCOPORUM ſingulari privilegio, Evangelicis, & Apoſtolicis, atque canonicis conceſſa ſunt inſtitutis, quia ſemper MAJORES CAUSÆ AD SEDEM APOSTOLICAM multis authoritatibus referri præcepta ſunt :* NEC *ULLO MODO POTEST MAJOR A MINORE JUDICARI : ipſa namque omnibus major & prælata eſt Eccleſiis, quæ non ſolummodo canonum, & SS. Patrum decretis ſed Domini ſalvatoris noſtri voce SINGULAREM obtinuit PRINCIPATUM, tu es Petrus, inquit, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Hæc eſt totius Eccleſiæ traditio imò & ſententia, ut probatur his verbis, *porro dudum à SS. Apoſtolis, ſucceſſoribuſque eorum, in præfatis antiquis decretum fuerat ſtatutis, quæ hactenus S. ET APOSTOLICA TENET ECCLESIA* (quam periculoſum eſt ab ejus ſententia recedere!) *non opportere præter ſententiam ROMANI PONTIFICIS concilia celebrari, nec Epiſcopum damnari, quoniam S. Romanam Eccleſiam primatem omnium Eccleſiarum eſſe voluerunt.* Cujus eminentia tanta ut omnia negotia apud eam terminum ſumant, ut patet ex ſequentibus, *& ſicut B. Petrus Apoſtolus primus fuit omninm Apoſtolorum, ita & hæc Eccleſia ipſius nomine conſecrata, Domino inſtituente, prima & caput ſit cæterorum, & ad eam, quaſi ad Matrem atqne apicem omnes majores Eccleſiæ cauſæ, & Judicia Epiſcoporum recurrant, ejuſque juſta ſententia TERMINUM SUMANT, nec extra ROMANUM quidquam ex his debere decerni PONTIFICEM.* Undè Concilium Sardicenſe epiſ. Synod. 1. fatetur *hoc optimum & congruentiſſimum videtur, ſi AD CAPUT, id eſt, AD PETRI APOSTOLI SEDEM de ſingulis quibuſcumque Provinciis Domini referantur Sacerdotes.* Nimis tædioſum foret legentibus omnia ad longum teſtimonia reefrre : ideo multos adhuc omitto, recole tamen quæ adduximus ex Anacleto epiſt. 1. & 3. Felice I. vide Alexandrum I. in Decretali ad omnes Ortodoxos, Sixtum epiſ. 1. quæ extant tom. 1. Conciliorum: audi & Marcellum epiſt. 1. *Epiſcoporum judicia, ſummarum cauſarum negotia, ſive cuncta dubia, Apoſtolicæ ſedis authoritate ſunt AGENDA ET FINIENDA :* ô inſignem principatum ! cujus omnis Mundi Plaga *ſubjecta ſit ditioni, ad quam omnes, quaſi ad caput juxtà Apoſtolorum, eorumque Succeſſorum ſanctiones, Epiſcopi qui voluerint, vel quibus neceſſe fuerit ſuffugere, EAMQUE APPELLARE debent, ut indè accipiant tuitionem, & liberationem, unde acceperunt INFORMATIONEM ATQUE CONSECRATIONEM* reflecte bene, hic latet aliud myſterium multis modernis Gallis adverſum. Ultimo loco audi

Melchiadem

Melchiadem epist. 1. EPISCOPOS *nolite judicare*, *nolite condemnare absque* HUJUS SEDIS AUTHORITATE, *quod si feceritis irrita erunt vestra judicia, & vos condemnabimini*, *hoc enim privilegium* HUIC S. SEDI *à temporibus Apostolorum statum est servare*, *quod illæsum manet usque in hodiernum diem* &c. quæ brevitatis ergò omitto.

Vides ergo quomodo S. Leo potuerit solus vulneratam fidem sanare, & depositum suæ sedi restituere Flavianum, quare non fecerit, non lubet nec vacat indagare, cum nobis non possit obesse. Vide hic etiam an rectè jactitaveris, quod undecim sæculorum Pontifices (ad quos appellasti) se Conciliis subditos agnoverint, & reperies hoc erroneè te assumpsisse.

Hæc omnia præcitata attendat Rex Christianissimus, suspiciat Furstenberge, in eisdem exultet Princeps Clemens Bavarus: rem tamen hanc non ita ex professo agitare desidero, ideoque parcam Regi promovere nitenti, parcam & Cardinali Furstenberge promotionem prætendenti, non proferam pœnas ipsis debitas, ne veritatis audiendæ incapaces animos, superbiæ, & tumore amplius ampliusque elatos occasione epistolæ meæ magis magisque cum eorum majori perditione excitem: unicum tamen ipsis proferam Canonem, qui saltem excœcatis prælucere possit, *si quis Episcopus* PER VERSUTIAM, ET TYRANNIDEM PRINCIPUM *hujusmodi dignitatis consecrationem receperit* DEPONATUR OMNIMODE, *utpotè*, *qui ex voluntate carnalis sensûs*, *ut ex hominibus*, *& per homines Dei donum possidere voluit*, VEL CONSENSIT. Can. 12. in Synodo Æcum. & iterum act. X. Can. 5. *Quin imo talem etiam à sacris arcemus*, *si* PER VIM REGIAM *ad eum honorem pervenerit*. Hæc indicasse sufficiat: nec pro cæteris gestis ulteriores probas proferam, quia ex dictis etiam colliges, quomodo decisio illius difficillimæ Ecclesiæ quæstionis, quæ occasio est perturbationis totius orbis ad innocentium XI. modernum Pontificem justissimum, prudentissimum, pacis amantissimum, ab omni partialitate maximè immunem spectet, & quidem taliter, ut ejus definitioni omnes acquiescere teneantur, nec detur ab ejus decisione appellatio, uti rectè docet S. Bernardus l. 3. de consid. Eugenium alloquens *indecens tibi voluntate pro lege uti*, *&* QUIA NON EST, AD QUEM APPELLARIS *potestatem exercere*, *negligere rationem*. Potestate quidem usus est, nec neglexit rationem Innocentius, contrarium quidem prætendunt impacifici & turbulenti, sed non dignor ipsis dicere, quod *defecerunt scrutantes scrutinio*, non enim intrarunt sagax scrutinium, qui voluntate pro lege usi sunt, negligentes rationem; hactenus quidem multa scripta ediderunt, sed in nullo ratione aliquâ solidâ prætensionem suam munierunt, nisi fortè exprobationes in Pontificem, exorbitantes Regum volitiones, & similia solidæ rationes appellari possint. Requirant

præter ea, quæ allegavi, jus Canonicum, & 2. q. 6. per totam reperient, definitum ad Romanum Pontificem omnia difficillima Ecclesiæ negotia devolvi debere, à nullo alio posse decidi, ab ipso solo terminari, nec ab ipso posse umquam appellari, hoc quippè *cuncta per mundum novit Ecclesia*, *quod sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat judicandi : neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio*, *siquidem* AD ILLAM *de qualibet mundi parte* APPELLANDUM EST, AB ILLA AUTEM NEMO EST APPELLARE PERMISSUS. 9. q. c. cuncta. Nec recursum habere possunt ad Concilium, qui Papæ sententiæ acquiescere nolunt : siquidem ibid. scriptum est, *sed nec illa præterimus quod Apostolica Sedes* SINE ILLA SYNODO PRÆCEDENTE, *& solvendi*, *quos Synodus iniquè damnaverat*, *& damnandi* NULLA EXISTENTE SYNODO, *quos oportuit*, *habuit facultatem*, *& hoc nimirum pro suo* PRINCIPATU, *quem B. Petrus Apostolus Domini voce & tenuit semper*, *& tenebit*. Maneat ergo inconcussum, QUOD SEDES B. PETRI APOSTOLI DE OMNI ECCLESIA FAS HABEAT JUDICANDI. 9. q. 3. c. 18. Non hæc unius Pontificis sententia, sed (uti antè probatum est) totius Ecclesiæ consensus, etenim IPSI SUNT CANONES, *qui appellationes totius Ecclesiæ* AD HUJUS ECCLESIÆ *examen voluêre deferri. Ab ipso vero* NUSQUAM PRORSUS APPELLARI *debere sanxerunt*, *ac per hoc illam* DE TOTA ECCLESIA *judicare*, *ipsam ad* NULLIUS *commeare* JUDICIUM. 9. q. 3. c. ipsi sunt. Hoc Deus instituit, & *voluit B. Petri successores Cœlo debere innocentiam*, *& subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam*. 9. q. 3. c. aliorum. Et profectò in quem finem ad Concilia recurrunt impacifici ? in nullum : cum ab ipsis tantum *scrutari causam liceat*, NON TAMEN DEFINIRI INCONSULTO ROMANO PONTIFICE. concil. Nycæn. c. 3. Appage ergo mali litigatores, & frivolè appellantes. frustraneè ad alium Judicem recurrentes. Ubi etenim umquam visa est appellatio à Judice majori tamquam à Judice à quo, ad Judicem majorem tamquam ad Judicem ad quem ? superior est omni Judice Pontifex, ergo nec ab illo appellari potest. Acquiescant ergo quicumque ab ipso judicati. Quia *nemo umquam Apostolico culmini* (DE CUJUS JUDICIO NON LICET RETRACTARE) *manus obvias audacter intulit*, *nemo in hoc rebellis estitit*, *nisi qui de se voluit judicari*. 9. q. 3. c. patet. Et quidem severo judicio, quia *peccatum paganitatis incurrit*, *quisquis*, *dum Christianum se asserit*, *sedi Apostolicæ obedire contemnit*. in c. si quis. Hæc absorbeant malevoli, qui ad Concilium generale recurrere prætendunt, sed in vacuum current inquieti illi. Etenim SI QUA ÆCUMENICA SYNODUS COLLECTA, DE ROMANÆ ECCLESIÆ CONTROVERSIA QUÆRAT, LICEBIT CUM VERECUNDIA DE PROPOSITA QUÆSTIONE PERCUNCTARI, RESPONSUMQUE ADMITTERE : ET (SIVE NOCENS SIT, SI-

VE INNOCENS) NEQUAQUAM IMPUDENTER SENTENTIAM IN PONTIFICES ROMANOS PRONUNTIARE. Sic definitur in VIII. Synodo Æcumenica act. X. Ecce quomodo Pontifex sit supra Concilia. Annè adhuc dicere audes non posse vel unum Canonem proferri, qui post exquisita Patrum vota & institutâ deliberatione sit editus? nonnè vota sua declarant institutamque deliberationem, qui ibidem exclamant, OMNES ITA SENTIMUS: OMNES ITA CENSEMUS: OMNES CONSENSU LIBENTER SUBSCRIBIMUS. Ito, ito, glorieris, glorieris, quod Bellarminus, Perronius, & alii (quamvis non desint, qui eam graviter censurarunt) ut hæreticam sententiam vestram non condemnarunt, nec ego te condemnabo, sed judicet te Deus, & discernat causam tuam. Interim rogo, ut exurgat *Pontifex*, & dissipentur inimici ejus & fugiant, qui oderunt eum à facie ejus, & eos, qui recedunt ab eo, regat in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringat eos. Servite omnes Christiani *Summo Pontifici* in timore, & exultare ei cum tremore, apprehendite disciplinam ejus nè quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa. Beati omnes, qui confidunt in eo. Quamvis enim justè quandoque ira ejus exardeat, tamen non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus delinquentium, sed universa delicta eorum operiet charitas ejus, si tamen redeant prævaricatores ad cor, & contra stimulum calcitare desistant: quamvis jam satisfeci probando, nolo tamen deesse refutando, ideoque ad acta Apostolorum in favorem tuum frivolé à te adducta transeamus.

Etenim ex omnibus actuum Apostolorum locis nihil tibi favere demonstrant SS. Patres: non enim poterat Apostolis congregatis esse subjectus, qui ERAT OS APOSTOLORUM, *& princeps & vertex ipsius cœtus, propterea & Paulus eum præter alios visurus ascendit, simul ut ei ostenderet jam sibi fiduciam habendam*, vel ut Hieronymi utar vocabulo, *nè in vacuum curreret, aut cucurrisset*. Chrys. hom. 87. Hinc idem Chrys. hom. 3. in act. Apost. I. fatetur quidem Petrum consuluisse Apostolos, sed quod solus, quæ tractabantur, facere poterat, omnes alios in manu habebat: audi potius ipsum met Petri supra Concilium superioritatem explicantem. *In diebus illis surgens Petrus in medio Discipulorum dixit: quàm est fervidus? quam agnoscit creditum à Christo gregem. Quam in hoc choro Princeps est, & ubiquè primus omnium incipit loqui .... Oportet igitur è nobis, inquit, congregatis omni tempore: quam ob rem communicat hoc negotium cum illis? ne res verteretur in pugnam, ac delaberetur in contentionem:* QUID? AN NON LICEBAT IPSI ELIGERE? LICEBAT, ET QUIDEM MAXIME: *verum id non facit, ne cui videretur gratificari .... Merito primus omnium authoritatem usurpat in negotio, ut* QUI OMNES HABEAT IN MANU, *ad hunc enim dixit Christus* (ecce probam sui dicti) ET TU ALIQUANDO

CONVERSUS CONFIRMA FRATRES TUOS. Cum in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, brevitatis causâ unum huic adhibeo convincentem testem D. Antoninum c. 11. historiæ act. Apost. §. X. ubi hæc habet. *Cum autem quæstio proposita esset, qui ut* SUMMUS PONTIFEX HABEBAT DETERMINARE QUÆSTIONEM, *in qua quæstione negotium* FIDEI *versabatur, scilicet de observatione legalium dixit. Viri fratres vos scitis quia à diebus antiquis elegit Deus* PER OS MEUM *audire gentes verbum Evangelij, & credere fide purificans corda eorum &c.* CONCLUSIT DETERMINANDO *non esse Gentiles conversos gravandos in observatione legalium, circumcisione, & aliorum caremonialium. Exindè locutus est in Concilio Jacobus minor Archiepiscopus Hierosolymis factus ab Apostolis, non tamquam* MAJOR PETRO, *vel determinans quæstionem, cum hoc ad eum non pertineret* (sed ad Petrum ut supra dixit) *sed pro parte Concilij, seu aliorum de Concilio; approbans & confirmans* DETERMINATIONEM PETRI, *sicut Patres in Concilio respondere solent per placet* (quam hic torquetur vester Cliens Egidius de Witte) Cum vero isti nascentis Ecclesiæ conventus futurorum exprimerent Conciliorum formam, & istis Apostolorum Synodis Petrus anteierit, in easque exerceat authoritatem, quid restat, nisi ut etiam ejus successores præsint Ecclesiæ, ut Concllia eorum decretis parere teneantur? agnoscis Christianè Apostolorum Synodos fuisse futurorum Conciliorum formæ expressivas, cur ergo ab hac Patrum sententia avelleris de superioritate Pontificis supra Concilia? An ignoras, *quia in Ecclesia nemo Pontifice potior*? Disce ex S. Fulgentio, cujus sunt formâlia verba l. 2. de verit. prædest. c. 22. ubi & ad marginem refertur Synodus Parisiensis his notis an. 829. l. 1. c. 23. an ad propositum hæc Synodus benè referatur, ego credo authori, donec contrarium viderim: non enim potui reperire illius Synodi decreta, tu scrutare domestica, nos scrutabimur præsentia.

Nunc ad vestram Dialecticam Gallicam transeo. Cave Sanctissime Pater Innocenti fortis armatus incedit in atrium tuum, jam jam te infalibili Cathedra tuâ dejicere tentabit; sed consolare, non prævalebit. Examinemus ergo vestrum syllogismum quo probas Papam esse falibilem. *Quidquid*, inquis *docet Papa, ut Papa infalibiliter verum est, atqui aliquis Papa ut Papa docet Papam esse falibilem, ergo infalibiliter verum est.* (forma est bona, sed suppositiones falsæ) minorem probas ex Adriano sexto qui eam docuit ut Papa Papa existens. Sed quomodo hoc probas? Theologiam, inquis, tempore Pontificatûs impressit (in qua hoc docebat) & eam per totum mundum dispersit, ergo docuit ut Papa. Et tandem concludis, *si hac ratiocinatione non demonstratur nostra sententia veritas, missam facio Dialecticam, eamque non differendi artem dixero, sed fallendi.* Rectè judicasti: fallendi, non differendi ars est Dia-

lectica

lectica Gallica: non sic totius orbis, sed hæc sophismata vestra detegit, refellit, evincit. Annè valet cousequentia in vestra Dialectica ab opinione Pontificis ad definitionem Pontificis ut Pontificis? Non sic in Dialectica totius orbis, sed hæc distinguit inter opinionem Pontificis, & definitionem ejusdem, illam falibilem, hanc infalibilem demonstrat. Definitionem Adriani VI. quâ Pontificem falibilem in sua Decretali pronuntiat nusquam ostendes, vel si ostendas victas manus dabimus. Ejus autem opinionem ostendisti: sed ex ea non licet concludere eum docere ex cathedrâ *Papam ut Papam esse falibilem*, quia *Papa ut Papa non* non *opinativè*, sed resolutoriè, definitivè, infalibiliter determinat, dum opinativè procedit, ut homo docet, dum definitivè, ut Deus, & Vicarius Christi, ut homo est, falibilis est, uti opinativus est, ut Deus, & Vicarius Christi, infalibilis est, in suo judicio irreformabilis, uti ille, cujus vices gerit, cum hoc tamen discrimine, quod Deo, cujus vices gerit sit proprium, Papæ autem participatione communicatum. Missam igitur fac Dialecticam Gallicam, eam non disserendi, sed fallendi artem pronuntia: amplectere Dialecticam totius orbis, & per eam ex antecedentibus demonstra Pontificem esse infalibilem: eam, inquam, amplectere: quia scio quod illa te non lateat, es enim *Magister in arte*.

Deficit mihi tempus, pluribus te impugnarem, sed vocor ad negotia, de quibus te monui, dum tibi primam meam epistolam impressam transmisi, adjungens unam propriâ manu conscriptam & subscriptam, in qua tibi præsagiebam me fore impediendum, ideoque ad citò respondendum exhortabar, ut antè impedimentum meum tibi rursus respondere valuissem; sed sicut impedimentum meum me obruit, ita responsum vestrum præveni epistolâ hac, ad utramque responsum exspectaturus, & dum redux fuero, vice versâ responsurus. Dum mihi respondes probationes efficaces adferas, non rethoricè disposita inania verba, & voces, quia *in rebus Ecclesiasticis non specimen eloquentia, sed Canones Apostolici requiruntur*, & Patrum Conciliorum integra non truncata testimonia: *operaque dari solet ne quis ex parvis in Ecclesia scandalizetur.* Julius Papa in epist. ad orient. scandalum passi sunt hæretici ex tuo dicto de Pontifice *factus est ethnicus, & publicanus*, dum ad concilium venire renuit. Scandalum patientur & illi qui sequentes tuam sententiam in dubiis rebus fidei ad Pontificem recursum non habebunt, sed quærent sibi magistros prurientes auribus, à veritate auditum avertent, ad fabulas autem convertentur, & verendum est, ne in illis verificetur, quod de similibus prædixit Cyprianus, *nequo* ALIUNDE HÆRESES *subhorta sunt, aut nata sunt* SCISMATA, *quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur*, NEC UNUS IN ECCLESIA AD TEMPUS SACERDOS, ET AD TEMPUS JUDEX VICE CHRISTI

COGITATUR. Epist. 55. spero meliora, si omnes æmulenter charismata meliora. Quærenti tibi de nostra sententia defendentibus, *quid reponent, si ipsis objectem unum ex Jansenii erroribus cum ipsum esse, quem jam infectamur cum Pontificiam infalibilitatem tuitus sit?* Ego pro aliis tibi cum Hieronymi verbis respondeo, *oro te, ut qui nostro vulnusculo medendum putas, quod acu foratum imò punctum, ut dicitur; tua sententia medearis vulneri, quod lancea, & ut ita dicam phalarica mole percussum est. Neque enim* parvi *est criminis in explanatione scripturarum diversas* à majorum opinione *sententias ponere*, imò & falsas ipsis affingere.

Cum eodem Hieronymo loquor *iterum atque iterum te obsecro, ut ignoscas disputatiunculæ meæ. & quod modum egressus sum tibi imputes, qui coegisti, ut scriberem: nec ego tibi sed causa causæ respondit, & si culpa est respondisse, quæso ut patienter audias, multo major est provocasse: sed facessant ist-jusmodi quærimoniæ, sit inter nos pura germanitas: & deinceps non quæstionum, sed charitatis ad nos scripta mittamus.* Scripsi tibi non ut te docerem, sed à te discerem, quia *nequaquam mihi arrogaverim, ut ingenium tuum divino dono aureum meis obolis ditare contendam* (cum Augustino loquor) sed si sit vel in tua, vel in mea opinione quidquam erroris, *non est quisquam te magis idoneus qui opus illud emendet.* Sed iterum cum Hieronymo te alloquor dum mihi respondere dignaberis, *ne mihi imperitorum plebeculam concites, qui te venerantur, ut Episcopum, & in Ecclesia declamantem sacerdotii honore suscipiunt, me autem secreta sectantem parvi pendunt*, non propter doctrinam (laus Deo) sed propter vilem statum. Et cum Augustino concludo, ex toto corde *hoc erga me ab omnibus servari volens, quod erga te ipse servavi, ut quidquid improbandum putant in scriptis meis,* NEC LAUDENT SUBDOLO PECTORE NEC ITA REPRÆHENDANT APUD ALIOS UT TACEANT APUD ME, *hinc potius existimans lædi amicitiam*, quam in perpetuum servare desidero. *Et quoniam nulli rectius possum, vestræ sanctitatis* (sanctissime Pater Innocenti) *præsento conspectui subditum opusculum, ut ejus authoritate, quæ ibi suscipienda sunt approbentur, & quæ corrigenda sunt emendentur* S. Anselm. in præfat opusc. de incarnatione: Post scriptam, & impressam, sed non totaliter (utinam citius venisset!) hanc meam epistolam, pervenit in manus meas decretum Roma transmissum, in quo hæc vestra epistola (quam impugno) *damnatur*, & quod ego hactenus censurare non fui ausus, hoc infallibilis Pontifex sua authoritate Monarchicâ fecit. Gratulor modo Gallis, qui suum facile antesignanum damnatum vident. Quo jam se vertent? decreto Pontificio obedire tenentur, te ipso fatente, Illustrissime Domine, dum dicis: GALLI *stant à Conciliorum partibus: sed summos Pontifices à Christo*

Domino, tamquam Petri successores, toti Ecclesiæ præfectos, venerantur. IPSIS OBEDIRE JURE DIVINO SESE TENERI PRÆDICANT SUPER TECTA. (Sed non practicant, ipsi viderint) *ita docent summos Pontifices rebus Ecclesiæ providere, ut* EORUM DECRETA, QUOAD FIDEM, ET QUOAD MORES, *secundum canones, & antiquas ac laudabiles nationum consuetudines,* AMPLECTENDA SINT, *donec ex toto orbe sacerdotes congregantur.* Quis te docuit hanc exceptionem? quidquid hoc sit: tu amplectere cum tuis Gallis hanc Pontificis de doctrina tua damnationem. Ad concilium appellabis? ad concilium ibis, sed sicut ingressus fueris redibis condemnatus, quia, concilium Portificis sententiam reformare non posse, jam demonstravi invincibiliter; ipsius enim in rebus fidei decreta omne dubium ita tollunt, ut dubietati locus non vacet, & ab ipsius sententia terminum sumat, ut ait & resolvit *Galliæ Episcopis* Joannes Papa VIII. epist. 95. dicens *si quam contentionem de* FIDEI CAUSA *evenire contigerit ad nostram studeant perducere notionem, quatenus à nobis valeat congrua* SINE DUBIO *sententia* TERMINARI. Dum enim Româ *rescripta venerunt causa finita est* ait August. serm. 2. de verb. Apost. c. 10. causa itaque vestra finita est, Illustrissime Domine, quia Româ, à sede Apostolica rescripta venerunt, jam judicatus es, damnatus es: quid restat, nisi ut Palinodiam canas? etenim adhuc ut Catholicum te veneror, quâ toga eximium, quâ infula Illustrissimum, quippè non pertinaciter tuam sustinebis sententiam, hoc confido, imò scio, quia qui cum pertinaciâ tuetur errorem scis quibus sit adjungendus: sed ab illis te sequestrabis, non dubito: humanum est opinando errare, sed diabolicum est, cum pertinacia perseverare contra Apostolica decreta: rogo etiam ut omnes tuos sequaces ad veritatis agnitionem Episcopali vestra authoritate reducas, ut verus Pastor, ad Pastorum Pastoris pascua enutriendas dirigas, & nobiscum infalibili ejus doctrinæ pabulo fruaris. Ex nunc permitto mihi, vobis *Gallis*, imò & toti orbi pacem, in veritatis defensione concordiam, & unionem: quod non nisi Pontificis infalibili definitione procurari potest: *agamus ergo ei gratias, qui solutis inimicitiis in carne sua, fecit, ut* IN OMNI ORBE TERRARUM UNUS ESSET GREX, ET UNUM OVILE SUB UNO PASTORE. Sixtus Papa epist 2. post hanc gratiarumactionem à convivio vestro, ad quod non invitatum me invitavi, recedo & maneo.

ILLUSTRISSIME DOMINE,

Ill. V. Gratiæ indignus famulus,

FRANCISCUS VERITE.

